Bauer, Wilhelm
De Hamanni vita
et scriptis

DE HAMANNI
ITA ET SCRIPTIS,

DISQUISITIO
LITTERARIA ET PHILOSOPHICA,

QUAM

SUB AUSPICIIS

IPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE VRATISLAVIENSIS

AD SUMMOS

PHILOSOPHIA HONORES RITE OBTINENDOS

DIE IX. M. IUL. MDCCCXXXXII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS BAUER

SILESIUS.

CONTRA DISPUTABUNT

MÜLLER, DR. PHIL.
EM. TEUBER, SEM. PHILOL. NUPER. SODALIS.
FLEISCHER, STUD. THEOL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII.

DE

HAMANNI VITA ET SCRIPTIS.

Dunkelheit ist gewiss dem Geiste nicht minder peinlich, als dem Auge, aber die Finsterniss aufzuhellen, muss nothwendig Lust und Wonne sein, so viel Arbeit es auch gekostet hat.
(David Hume, Untersuchung über den menschl. Verstand, übers. v. Tennemann. S. 15.)

PRAEFATIO.

Opinionibus consuetudine tantum receptis et hereditate quasi relictis, quales multae in vita circumferuntur, ne omnino careat suis illecebris, — nam mirum quantum gaudent homines opinionum ambiguitate et fluctuatione, — locum relinquamus, quam diu non satis dilucide appareat, eas esse aut prorsus absurdas, aut omnino periculosas, vel prudentia quadam ducti, vel misericordia, ne, dum vitae illas eripiamus, omne quod suavem eam reddat, auferamus. Istiusmodi vero opiniones, quas in vita quotidiana haud detrimenti quidquam sequatur, quasque cur tollamus non sit, tamen in literis, artibusque ferri ullo pacto nequeunt.

At vero quis maximam earum esse copiam atque innumerabilem fere gregem neget? — Quem fugiat, ut exemplum afferam foeda ista ac satis trita opinio, philosophiam ipsam nihil esse, nisi obscuram inutilemque rerum non ad vitam pertinentium scientiam, qua abstinendum sit cuique vitam carpere volenti?

Quas opiniones tralatitias igitur ut homines ingenii aliqua praestantia insignes oppugnent et amoveant, forte fortuna accidit secunda, ut quodammodo innatum iis sit exquirendae eorum, quae perceperint, originis, verique, quod iis insit, investigandi desiderium.

Ubi autem valent istae opiniones praeposterae, ubi ea, quae traduntur, sine inquisitione, verane an falsa sint, accipiuntur, quoniam tradita sunt a maioribus, quos non sit fas inquirendo in ea quae vera ipsis visa sint, laedere, ibi exoriatur necesse est coacervatio illa notionum singularum, abruptarum, nihilque valentium, quae traditae hoc modo ac receptae nullam ad vitam vitalem animoque agendam, id est, ad literas et artes promovendas vim habent. — Atque in receptis eiusmodi opinionibus acquiescere consueverunt, ubi de *Hamanno* agitur, cuius et vita et scripta ita ignorantur, ut plurimi aut nomen eius nesciant, aut si sciunt, hoc agant, ut crambem bis coctam recoquere non dubitent, nihil curantes, utrum ea sit cibus esculentus, an cum condimentis noxiis mista.

Qui, quomodo satisfaciant studio nostri temporis non tam diu excitato atque bene multis locis vigenti, ut ea amplectantur maxime viri docti, quae literis earumque historia apud nos continentur, dum prae recentioribus vetera negligunt, aut obiter tractant, non facile est intellectu. Nam literarum in Germania nostra aetate studium, nisi perspectis prioris aevi scriptis, quae arctissime inter se et cum sequentibus cohaerent, haudquaquam frugiferum esse potest. Non modo non vituperanda igitur, sed iusta videtur et necessaria scriptorum *Hamanni* perscrutatio, cui et theologia, quam dicere nobis liceat recentiorem, sese applicuit, et a cuius dictis philosophicis secta quaedam philosophorum auctoritate et numero haud ignobilis originem et incrementum traxit, ut silentio praetermittam vel Herderum, qui ingenio suo praeclaro refecit et plane immutavit artes nostras liberales, excitatum esse atque excultum per *Hamannum*, quod infra uberius docebitur.

Atque haec laus Friderico inprimis Schlegelio debetur, quod memoriam viri squalore et oblivione obtectam in lucem protraxit, praeterque eum Herdero, atque Jacobio, qui singulis eximiisque *Hamanni* laudationibus, et Goethio, qui

maxime judicio suo libros eius obscure profundeque scriptos tanquam lumine collustrarunt.

Postea *Hegelius* luculentissime et ingeniosissime de eo iudicavit, eiusque vitae, morum atque ingenii ratione habita simul in graviora scripta inquisivit, cuius inquisitionis finis is fere est, ut theologiam Hamanni laudibus exornet, haec dicens: (Georg Wilh. Fr. Hegel's Werke. Berlin 1835. Bd. XVII. S. 79.)

„Das Christenthum mit eben so tiefer Innigkeit, als „glänzender geistreicher Energie auszusprechen, und das„selbe gegen die Aufklärer zu behaupten, macht den ge„diegenen Inhalt der Hamannschen Schriften aus;"

philosophiam vero minus comprobet, de omnibus scriptis omnino lectores ad Goethii sententiam ablegans (l. l. pag. 94.). In universum vero hunc philosophum de Hamanno eiusque abrupto et a iusta scientia longe remoto philosophandi genere paulo severius iudicasse, non est, quod mirum nobis videatur reputantibus, quam strenue atque acriter Hegelius semper dogmata praeceptaque sua tenuerit atque defenderit. At quo severior Hegelius in Hamannum extitit iudex, eo magis possis mirari, quod haud raro ejus sententiis assensum suum atque comprobationem denegare non potuit.

Multo, ne dicam iusto iniquiorem, quamquam est secutus Hegelium, de Hamanno *Gervinus* fecit sententiam, (Neuere Geschichte der poëtischen Nationalliteratur der Deutschen. I. Theil. Leipz. 1840.) quamquam vel is, postquam aliquanto deferbuit primi impetus ardor, iustitiae ductus amore, auctoritatem in literis satis gravem atque honorificam ei tribuere coactum se vidit. Atque is quidem omnem scriptoris Hamanni ingenii vim et naturam expressam esse censet Macchiavelliano illo: „ritornar al segno," cujus dicti sententiam Hamannus ipse verbis „petitio principii" explicat, Gervinus in hunc modum interpretatur: „Die Rückkehr zum Zeichen — der Wiederanfang einer neuen Entwickelung mit bisher ungebrauchten Kräften." Quam petitionem principii, ut omnes inprimis in poësi literisque liberalibus appeterent, acriter Hamannum cohortatum esse dicit Gervinus, et iure quodam, — nam hoc non quadrasset in Gervini propositum de poësi tantummodo agentis, — omittit rationem, qua Hamannus philosophiam tractavit

et ob eandem caussam eiusdem sententias theologicas reticuit, obiter breviterque omnia, quae ad religionem spectant, pietismi nomine notans et christianismo Hamanni dicens fidem haberi non posse, quippe qui speciem christianismi tantummodo induerit, postea vero eo sit redactus, ut omnia ipsius scripta in hoc fundamento fulserit.

Laudabilis et propter fidelitatem in perlustrandis, diiudicandisque philosophorum dictis digna est, quae accuratius perpendatur, religionis aestimatio, in philosophiae historia, quam Micheletius conscripsit, exhibita; (Geschichte der letzten Systeme der Philosophie in Deutschland von Kant bis Hegel. Berlin 1837.) ubi etiam rationem, quae inter Hamannum et Iacobium eiusque scholam intercedat, breviter ab Hegelio adumbratam, luculentius tractavit, et omnia tam acute examinavit, et copiose explanavit, ut praecepta Hamanni et theologica et philosophica magna ex parte eluceant.

Quodsi ego post tales antecessores timore affectus ac fere absterritus ingenii mei infirmitatis conscientia animo audacissimo ac fere temerario id suscepi, ut quid assidua Hamanni scriptorum lectione ac perscrutatione consecutus esse mihi visus sim, in medium afferrem, me propter virium infirmitatem saepius propositum illud abjicientem, tantummodo summus ille finis investigandae veritatis sustentavit atque erexit, ut summam, non dico insuperabilem difficultatem cum penitus perspiciendi eius scripta, tum ea, quae forte vera animo obversarentur, latine recte exprimendi non vererer. Quas, quum summopere eniterer, ut vincerem difficultates, alia accedebat haec haud minor fere difficultas, qua via et quonam modo horum studiorum redderem rationem. Poteram enim, ut a facillimis ordiar, sequi Hegelii consilium, ut praeclare quaeque cogitata et dicta ex Hamanni operibus excerperem et eligerem, ex electis autem, quae revera alicuius viderentur momenti, omnibus excutienda ac probanda proponerem.

Utile porro erat, ut locos quosdam obscuros, qui in caussa quoque sunt, quod scripta eius ubique fere neglecta iacent, exquirerem, exquisitos vero illustrarem. Sed quantacunque fuerit utilitas ex hac inquisitione redundans, tamen hoc consilio

susceptum opus vix faustum ullum habuerit eventum. Conferas de hac re aliorum iudicia.

Briefe, die neueste Litteratur betreffend. Berlin 1762, bei Fr. Nicolai; vide Hamanns Schriften, herausgegeben von Fr. Roth. Berlin 1822. VII Bde. II, 508. III, 122.

Briefe XII, 217 ff. „Die Sinne vergehen vor Spleen und langer Weile, wo der Witz beständig Räthsel aufzulösen hat."

Herder zur schönen Litteratur I, 124: „Seine Bemerkungen vereinigen eine ganze Aussicht in einen Gesichtspunkt. Hier stehe aber ein Leser, der diesen Gesichtspunkt trifft, der seine Laune zu Beobachtungen hat, sonst sieht er verzogene Stellungen und Schimmel statt eines mikroskopischen Wäldchens."

Goethe. Aus meinem Leben Th. II, VIItes Buch: „Seine Anspielungen waren vorzüglich auf bestimmte, im Leben und in der Literatur augenblicklich herrschende Eigenheiten gerichtet."

Hegel's Werke Bd. XVII, S. 90. „Viele von seinen Anspielungen gesteht Hamann, auf die Anfragen von Freunden, die ihn um Erklärung ersuchen, nicht mehr zu verstehen*). Die damalige Recensirliteratur aus den fünfziger und folgenden Jahren des vorigen Jahrhunderts, hamburger Nachrichten von gelehrten Sachen, allgemeine deutsche Bibliothek, Literaturbriefe, eine Menge längst vergessener obscurer Schriften und Blätter müssten durchstudirt werden, um den Sinn vieler Ausdrücke Hamanns wieder aufzufinden; eine um so mehr undankbare

*) Fr. H. Jacobi's W. IV, 3, 15: Individuelle Personalitäten, die ganz aus dem Gedächtniss verschwinden, sind die Ingredienzen meiner Composition gewesen, die sich öfters auf einen sehr einzelnen Gesichtspunkt, oder auf einen eben so zufälligen Gemüthszustand bezog. Ibid. S. 18. Sich in alle die Situationen zu versetzen, welche diese Irrwische (21 Hefte s. Schrift) hervorgebracht, ist eine Seelenfolter, und ich habe allen Appetit verloren, an eine so herkulische Arbeit zu denken als erfordert würde, einen solchen — Stall auszukehren und aufzuräumen, und mich auf alle die kleinen Anlässe zu besinnen, welche Einfall und Ausdruck mit und ohne Fug erzeugt.

und unfruchtbare Arbeit, als sie in den meisten Fällen auch erfolglos sein würde. — Es bedürften die meisten oder sämmtlichen Schriften Hamanns eines Kommentars, der dickleibiger werden könnte, als sie selbst.

Praeterea singulae res, ut quaestione aliqua non indignae sint, tamen non est, cur accuratius explorentur, quum totum quoddam non efficiant nec ad intelligendas sententias quidquam valeant. Si Hamannus v. c. contemptim verba faciens de Francogalliae saeculo duodevigesimo, quod appellant philosophicum (vide Hamanns Schriften II, 179), interrogat, num propterea hoc nomine saeculum illud exornetur, quoniam secundum signa artis musicae, quas *notas* vocamus musicas digladietur; casu tantum fausto cognoscimus, latere hic aliquam significationem omnino singularem Rousseavii, qui narravit in „Confessionibus," artem se gladiatoriam secundum terminos musicos debuisse discere. Verba autem Hamanni sunt haec:

„Ein Jahrhundert, wo man — — nach Noten ficht, wird „das philosophische genannt."

Pariter alio loco: (H. S. VII, 12.)

„O um die *Handlung* eines Demosthenes und seine drei-„einige Energie der Beredsamkeit!"

exclamat Hamannus. Quid igitur est hoc: dreieinige Energie der Beredsamkeit? Hegelio effatum tale quasi sibyllinum explicari nullo modo posse videbatur (addit enim interrogationis signum inter vocabula „dreieinige" et „Energie" l. l. pag. 86). Hamannus ipse nobis dissolvat nodum: „omnia, quae a Demosthene, inquit, triplici hac unius vocabuli artis repetitione indicari videntur, (H. S. VI, 355.) [vocabulum autem illud artis, de quo verba facit est *actio* (die Handlung)] vel, quod idem est, quae Demosthenes de hac *actione* (H. S. VI, 325.) pronuntiavit, mihi valet oratio, (Sprache) ut, si essem aeque ac Demosthenes eloquentia imbutus (H. S. VII, 151.) nihil mihi, nisi unum verbum ter esset repetendum: ratio est oratio, *λόγος*. (Vernunft ist *Sprache*.)

Locus igitur ille, in quo novam veramque philosophiae viam exspectat atque exoptat per orationem et per sermonis studium diligentissimum ineundam, cuius partem quandam ad-

iungimus, cum sit eloquentia insignis et ut nexus accuratius perspiciatur: (H. S. VII, 12.)

„O um die Handlung eines Demosthenes und seine dreieinige Energie der Beredsamkeit, oder die noch kommen sollende Mimik, ohne die panegyrische klingende Schelle einer Engelzunge! so würde ich dem Leser die Augen öffnen, dass er vielleicht sähe — Heere von Anschauungen in die Veste des reinen Verstandes hinauf — (reiner Verstand ab Hamanno appellatur, quod nos dicimus Vernunft) und Heere von Begriffen in den tiefen Abgrund der fühlbarsten Sinnlichkeit herabsteigen auf einer Leiter, die kein Schlafender sich träumen lässt — und den Reihentanz dieser Mahanaim oder zweier Vernunftheere — et cet.“

hoc modo explicandus est: o *actionem* Demosthenis, quam ille eloquentiae voluit esse summam, quod *actionis* vocabulum ter exclamavit, pro quo equidem id, quod ego cognovi, orationem scilicet reponere et ter hoc unum repetere velim. Notionem mediam omisit, quam saepe mente addendam permittit lectori. Hoc autem certe apparet ex his duobus exemplis, quam parum fructuosae tales obscure dictarum enuntiationum explicationes futurae sint.

Patebat denique campus amplissimus, aut philosophiam Hamanni, aut theologiam, aut denique, quam habeat cum artibus liberalibus rationem hac quaestione exquirere. Quae aggressum atque ex ordine singula pertractantem me averterunt ab incepto scripta virorum, quos facile cognoveram maiori cum ingenio, successu magis prospero idem illustravisse, quam mihi pro virium mearum modulo sperare fas erat. Post tot igitur conata, unum hoc restabat, ut omnia, quibus Hamanni scripta possent illustrari, complecterer et summam quasi studiorum Hamanniorum veluti una imagine comprehensam exhiberem, qua vitam, mores, eruditionem, eruditionisque progressus proponerem, et quae libris, epistolis, sermonibus ad promovendum aliorum ingenium contulerit, pertractarem.

VITA HAMANNI.

Puerum iam me memini audire et legere de mago quodam aquilonali (der Magus aus Norden). Nomini huic jam ab initio se adiunxit celerrima cogitationum consociatione species quaedam mysteriorum, rerumque occultarum, quibus animus occupatur vi imaginandi nimis ductus. Quae quidem vis etiam verecundiam illam atque reverentiam rerum hoc nomine nuncupatarum fundit, utpote quas stupentes procul intueamur. Ludibrium fortunae autem dixerim, quod iterum mago huic aquilonali fuit occurrendum. Ita autem Hamannus non modo se ipse nominat, quod quidem nomen miro quodam salibusque condito enucleat modo (vide H. S. Bd. IV, S. 63—72). (Cf. Goethe a. m. L. II, Th. VII[tes] Buch p. 105 ff. de toto Hamanni libello hic citato Goethius sic iudicat:

„Er (Hamann) beleuchtet die Herdersche Preisschrift auf die eigenste Art mit wunderlichen Schlaglichtern.") quodque abisse in cognomen honorificentissimum, quo appellatus sit, qui omnia divina atque naturalia perspecta tenuerit, narrat Hegelius. Id quo factum sit jure, apud ipsum legas: H. S. II, 294. Hamanni autem magia talis erat, qualis descripta est in his Baconis verbis: (de augmentis scientiarum lib. II.) Magia in eo potissimum versabatur, ut architecturas et fabricas rerum naturalium et civilium symbolisantes notaret — — nec similitudines merae sunt, (quales hominibus fortasse parum perspicacibus videri possint) sed plane una, eademque naturae vestigia aut signacula diversis materiis et subiectis impressa. Magia porro secundum Baconem est*): scientia consensuum rerum universalium. Quae interpretatio Baconis, quomodo cum dictis factisque Hamanni cohaereat accuratius in sequentibus demonstrabitur.

Joannes Georgius Hamannus natus est Regiomontii XVI ante Kalendas Septembres anni MDCCXXX. Pater erat vul-

---

*) Expurgatio vocabuli Magiae: Baconis de dignitate et augment. scient. lib. III, cap. V: — Magia apud Persas pro sapientia sublimi, et scientia consensuum rerum universalium accipiebatur.

nerum medicus. (H. S. VII, 76. Billigkeit — war ihm heiliger, als Ruf, Gunst und Gewinn. Billigkeit die Seele seiner Handlungen und Urtheile, machte selbige bescheiden und standhaft, ohne Ansehung der Person, Gestalt und Form.) Parentes ipse in vita sua (Gedanken über meinen Lebenslauf I, 149—252.) refert, omnia paravisse largiter, quibus ipsius fratrisque animi possent excoli. (H. S. VII, 163.) Dass eine reiche, weiche Erziehung unsere Bedürfnisse vermehre, weiss ich aus leidiger Erfahrung. Mein Vater, wenn er sich den ganzen Tag unter Bekannten von jedem Stande müde gearbeitet hatte, liebte sehr häusliche Gesellschaft, und alle Freiheit eines vertrauten Umgangs, besuchte kein öffentliches Haus und hielt streng auf die Ordnung seiner und seiner Hausgenossen Lebensart. — Wir wurden also dem öffentlichen Umgang fast ganz entzogen und dafür durch alle häuslichen Gemächlichkeiten und Freuden eines bürgerlichen behaglichen Wohllebens schadlos gehalten.)

Quam quidem liberalitatem pie semper sibi colendam fore dicit. Verumtamen vitia in educatione ipsius commissa acute enumerat et diiudicat, velut quod temere alienas linguas discere coactus esset quamquam ingenio nondum satis corroboratus, neque iis literis sufficienter instructus, quibus animum tanquam praeparare ad cognoscendos aliarum gentium sermones solemus. Nam bene naturam sequi oportere intellexit, utpote quae paulatim, sensimque unamquamque rem tractandam atque absolvendam esse doceat: vel ipsam primam institutionem referendam magis esse ad naturam. — Quae de studiorum suorum tempore dicit, multis sunt nominibus memorabilia, eaque non modo declarant, quam bene et penitus se ipsum cognoverit, sed etiam ostendunt, quam ingeniose animi semper conditionem perspectam habuerit, produnt denique raram sinceritatem et libertatem, quum simpliciter omnia, quae cum informatoris munere fungens, tum in hominum conventibus saepius commorans, saepius commisit vitia, detexerit. Inter ea imprimis refert animum ingratum, desidiam, diffidentiam et sollicitudinem, animumque concitatum, quo omnis hilaritas remota sit. Jam vero concitatus iste animus lenis erat index ingenii religiosi, ut ita dicam, quod magis apparet, ubi vitam suam narrat, quam in

Anglia vixit, libere fatens, quae ibi perverse egerit, quibus malis consortiis usus sit, quomodo denique variis erroribus excruciatus in eo fuerit, ut penitus interiret, nisi evolvendis lectitandisque libris sacris medelam animi aegri quaesivisset. Ad hoc tempus maximi momenti luculentissime ab Hegelio tractatum et veluti culmen vitae Hamannianae postea nobis erit recurrendum. Nunc vero, quid praeterea ei in vita satis obscure peracta acciderit, breviter sunt commemoranda. Discordia exorta inter ipsum et Berentis cuiusdam familiam, apud quam aliquamdiu vitam Rigae degebat, commovit eum, ut Regiomontium rediret, quo simul obsequebatur patris desiderio, ut ipsi senectute confecto praesto adesset, adiuncta simul cura et custodia fratris desipientis. (H. S. III, 38: Hamannus Lindnero: Bei allen diesen Umständen können Sie leicht erachten, wie viel Trost ich in meinen Studien schöpfen muss, und dass ich diesen Hafen zum Ein- und Auslaufen, das erste bei gutem Wetter und Wind, das letzte im Sturm und zum Ueberwintern sehr bequem finde.) Mox partitio hereditatis maternae eum monuit, ut munus aliquod ad se ipsum sustentandum appeteret, quod quidem primo suscepit apud Regiomontii magistratum, quem dicunt. Sex mensibus post regium ei mandatum est munus, sed curis domesticis ut salvum sospitemque se servaret, conditionibusque faustissimis oblatis a Mosero consilium sanctius curante commotus munere sese abdicavit et scribendarum edendarumque ephemeridum munus inivit, quod paulo post iterum deposuit.

Anno MDCCLXIV relicto Regiomontio inductus Moseri propositis atque voto eius obsequens, Francofurtum se confert; accepto tamen nuntio, Moserum ipsum ibi se non reperturum esse, hinc per ambages in urbem redit patriam. Qua in re multis ita videtur egisse Hamannus, ut cur ita fecerit, vix appareat. (Der wunderliche Mann kehrte, aus welchem Anlass weiss man nicht, sogleich wieder zurück. Göthe, l. l.) (Hamann kam ungeschickter und unverrichteter Dinge nach Königsberg zurück, da er die Rückkunft Mosers nicht abwarten konnte. Hegel, Jahrbücher für wissensch. Kritik 1828 No. 109, cujus integrum initium nescio quamobrem non reperiatur in editione Hegelii operum omnium t. XVII.) Consulendae sunt

nobis epistolae eius, in quibus haec se offerunt: fastidiosum fuisse illi ingenii praeclari conscio quodque consortium hominum mediocrium et unumquemque comiter ac benigne erga ipsum se gerentem semper molestissimum ei visum esse. (H. S. III, 296. V, 126.) Quare, quum certos quosdam cancellos sibi circumdandos et ubique in hominum conventibus ipsorum moribus, consuetudinibusque indulgendum esse intelligeret, neque patriae atque inveteratarum quarundam consuetudinum amorem abiicere posset, optime sibi consultum iri putavit, si domum reverteretur. (H. S. III, 35, 295, 300.)

Nihilominus prospiciens victui rursus patriam relinquere coactus fuit, donec post mortem patris (anno MDCCLXVII) reversus Regiomontium, enitente et opitulante Kantio munus aliquod exile oblatum susciperet, quod, quamquam imminuere animi validioris impetum non magis poterat, quam paupertas et domesticae curae (H. S. III, 381 et 372.) tamen omne ei tempus consumsit atque trivit, animumque maiora et certa in scribendo moliturum occupavit. (ibid. 375.) Amicos magnam eius curam gerentes penuriam omni ratione ivisse sublevatum epistolae Hamanni testantur. (IV, 183.) Intimo amicitiae vinculo junctus erat cum Herdero, quae quidem amicitia epistolis continuata, vitam, qualis fuerit, monstrat, (V, 19, 44, 57.) nosque saepius cogit fateri, neque morbos (V, 34, 185.) neque multiplices aegritudines, malaque domestica (V, 95, 116, 120, 131, 171, 180, 178.) avertere tale ingenium potuisse a studiis atque laboribus litteris dedicatis (V, 138, 176, 188.). Morum eius indolem nihil magis declarat, quam conjugium cum puella obscuro loco nata initum, cuius hic obiter mentionem facimus, illegitimum, (Gewissensehe) cuius naturam ipse in epistola ad Herderum (V, 193.) et ad Buchholzium (VII, 162.) descripsit, qua ex descriptione apparet, se fide ac probitate servata conjugi et liberis, quos ex ea habuit, patris optimi officia constanter praestitisse. Interea ab amico quodam in eo excitatur spes, fore ut meliori mox uti possit conditione. Adaucta simul sunt muneris commoda atque emolumenta, (V, 205, 211. anno MDCCLXXVII.) — nam nova ei tradebatur provincia, — non sine impedimentis animum et alacritatem scribendi turbantibus. Molestiae autem cum munere illo con-

iunctae adferunt ei vitae quoddam taedium, a quo tamen amicitia, studiaque, vitae eius tanquam comites revocant, quos haberet profecto necesse fuit, cum mox regio edicto quodam privatus parte magna commodorum per se non magnorum ad egestatem redactus esset. Excruciato inde et sui et familiae sustentandae cura praeter spem auxilium offertur. (Fr. H. Jacobi's Werke IV, 3, 25. Hamannus Jacobio: Da sehen Sie mich 55jährigen Greis beinah wieder verjüngt, und aus einer Wüste in ein Eden versetzt durch ein Spiel der Natur und Wunder der Vorsehung.) Adolescens enim quidam dives (Fr. Buchholzius) egestate Hamanni comperta cum misericordia impulsus, tum inprimis admiratione tanti viri adductus, dono non exiguo ejus miseriae non modo succurrit, sed etiam ad ipsum veteresque amicos visendos invitavit.

Alia causa itineris huc suscipiendi ea fuit, quod paulo ante matrona ex domo principali Gallitzin, ubi animum ad scriptorem tam singularem advertit, ut omnia scriptoris opera conquirerentur et quae de ejus conditione et moribus cum ab eo, tum aliunde repetita innotescerent, sibi committerentur, mandaverat. (VII, 200.) Credidit enim, si ipse adesset, fore ut facile arctiore amicitiae vinculo cum omnibus conjungeretur. Postquam principis coniux Hamanni „Memorabilia Socratica" legit, cupidissima fuit plura huius viri opera colligendi, quibus collectis lectisque benevolentia eius erga auctorem augebatur. Quare in fine epistolae egregia illa princeps ad Jacobium ita scribit animo idoneo ad cognoscendam Hamanni indolem atque naturam, miro quidem, sed Hamanni ingenium accurate designante modo:

> Mit der heiligen Schrift hat Hamann sich in meiner Vorstellung dergestalt eingewebt, dass ich wie an einem heimlichen Ansatz von Liebe zu ihm krank wurde, der mich trieb etwas Näheres von ihm zu erfahren. (Jakobi's Werke IV, 3, 21.)

Haec parantem consiliumque itineris, quo vires reficeret, diu jam exoptati ut absolveret molientem, postquam viginti fere annos aegritudinis tanquam vinculis et compedibus impeditus erat (nach einer beinahe zwanzigjährigen Quarantaine in Fesseln und Banden des Kummers) (H. S. VII, 211.) impedi-

menta retinuerunt, quae sub iteratis infaustae fortunae casibus non aliter dirimere fas erat, nisi muneris sui iactura. (VII, 395: Nach so vielen harten und bittern Prüfungen, die sich kein anderer vorstellen kann, der nicht in meiner Stelle und Lage gewesen.)

Sed extrema haec calamitas tantum abfuit, ut eum frangeret, et omni consolatione privaret, ut relicta Regiomontio urbe anno MDCCLXXXVII tandem aliquando in sinum gremiumque amicorum confugeret, ibique regenerationem, ut ipse dicit, (VII, 395, 372, 412.) suam exspectaret. Quodsi quid est, quod animi magnitudinem, eximiam morum et ingenii firmitatem possit declarare, nihil magis id potest praestare, quam haec diu praeparata, nunc perpetrata Hamanni apud amicos commoratio. Amicissime eximia eius reverentia et aestimatione imbuti excipiunt advenientem, aegrotum sollicite curant, nec certissima desunt documenta, magnopere ipsum, quam de ipso magnam habebant opinionem, praesentem auxisse, unde facile colligi potest, quanta huic tam vulgatae existimationi subfuerit viri dignitas. *) Du bist mir ein gewaltiges Zeichen, haec sunt verba Jacobii, der Hamann, den ich mehr als liebe, der mir Andacht einflösst, und mein Herz zum Glauben stimmt, der ist kein Hirngespinnst und ich kein Thor, der nur eine Wolke umfasst.

Accuratius idem eam, quae ipsum inter et Hamannum intercessit familiaritatem ac necessitudinem in priore quadam epistola his verbis exprimit: Hamann! Vater! — wenn Du vor mir stehen wirst! Ich fühle Genesung in allen meinen Gebeinen, in dem Augenblicke, wo ich dieses schreibe. (Jacobi's Werke IV, 3, 377.)

Quod familiaritatis vinculum tam arctum ubique apparet, ut a nobis vix possit intelligi, si Hamannus his verbis alloquitur Jacobium: Sonderlicher denn Frauenliebe! werde auch an unserer Freundschaft erfüllt. (ibid. p. 391.)

*) Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut majora omnia re, quam fama viderentur, id quod non saepe evenit, ut exspectatio a cognitione aures ab oculis vincerentur. (Macrob. Saturn. VI., 2.)

Ita Hamanni res eo tandem deductae erant, ut liberatus ab omnibus curis laetiori inciperet frui vita. Animus meus, idem refert anno MDCCLXXXVII, videtur recreari, ut laeta adsit spes ad iuventutem quasi meam recurrendi.

Iam vero ex itinere aeger, sua ipsius culpa denuo in eundem, quo paulo ante liberatus erat, morbum incidit, quem continentia proh dolor sera nunc non minuebat. Ipse autem, qualis sit status suus, Jacobio (ibid, 428.) his declarat verbis: Ich bin zu nichts mehr aufgelegt und höre nichts als rauschende Wälder in meinem kranken Kopfe.

Qua ex morbosa corporis affectione inquietus ille animi status atque illud in patriam redeundi desiderium originem duxit, quo denique eo est redactus, ut subito ac praeter omnium exspectationem Regiomontium reditum pararet. Sed in ipso itinere mala corporis valetudo ita crevit, ut mox dolore fere vacuus Monasterii Guestphalorum anno MDCCLXXXVIII. vitam naturae redderet. Sic morte demum vexato ei per totam vitam a moerore, a curis cuiusque generis et a morbis frequentibus ut sortem, placidiorem melioremque nancisceretur contigit. De morte Hamanni vide: F. H. Jacobi's auserlesner Briefw. I, 482 — 85.

Iam vero, si omne eius vitae tempus respicimus, quo cum vilibus illis victus comparandi curis ei erat conflictandum, mirandum sane est, quod, quum animus tantopere tantis malis affectus esset, tamen oppressus ac debilitatus non est, neque quaerere videatur alienum, quonam fieri potuerit pacto, ut scripta eius his domesticis minutiis, quae, sic narrat, uti arenae marinae fluctuum tanquam superbiam coërcebant, (H. S. V, 291. — genug von meinen häuslichen Kleinigkeiten, welche wie der Sand des Meeres den Stolz der Wellen dämmen. ibid. 287: Das Gemüth voller niedriger, kriechender, irdischer Nahrungs-Sorgen), non prorsus contaminarentur? Nam ipse saepius se vivere dicit (VI, 128.) huc illucve jactatum et molestis tristibusque cogitationibus et malis externis, quae eum secum raperent, turbarent, impedirent, quominus consilium ullum caperet, captumque prosequeretur, ut aliquando desperationis subito comprehensus furore exclamet se esse: mirificum ac debile instrumentum, (VI, 125.) ovem tam in doctrina,

quam in vita a vero tanquam a grege aberrantem; (III, 77.) neque haec incommoda reparabantur et leniebantur vita publica, si quidem tempus, quo scripta sua vulgavit, iure ita dici potest.

Scripta eius a plerisque aequalibus ex parte ut ab homine entheato profecta, ex parte contemptim accipiebantur, velut in vetustissima quadam ephemeride severum hoc, simulque ineptum reperitur iudicium:*) „Kein Alchymist, kein Jacob Böhme, kein wahnwitziger Schwärmer kann unsinnigeres, unverständlicheres Zeug reden und schreiben!“ Ineptam diximus hanc sententiam et tamen maxime divulgata erat, quam aut prorsus, aut ex parte plurimi sequebantur.

Jam vero cum nostris adeo temporibus sint, quorum animis quoniam toti pendent ab aliorum judicio, e nebulosa incertaque longinquitate tales obversentur opiniones, ut audito nomine Hamanni omnes mysticismi, quem dicunt, errores tanquam irrumpere opinentur, operae pretium nos facturos esse censemus si hanc opinionem, ut formidinem mala calamitatesque excitantem paucis pellere conemur. Nam si, quod vulgo mysticismi nomine significatur, in eo positum est, ut homo, qui omnibus viribus pro animi natura enititur, ut id, quod est summum, appetat, hoc vero summum in indefinito quodam atque infinito.

Micheletius refert (Geschichte der Philos. II, 484.) recte Schellingium sententiam de mysticis tulisse hanc: dass unsere sogenannten Mystiker mit den Aufklärern gemeinschaftliche Sache machen, indem sich beide im absoluten Nichts der Unerkennbarkeit Gottes begegnen, und so im Finstern die Hände drücken, wie sehr sie auch am Tageslicht einander zu bekämpfen meinen und scheinen wollen,

reperisse sibi videatur, eoque reperto contentus posthac quovis studio et quaque huius summi indagatione, quippe quod iam se reperisse ratus, abstinendum sibi esse arbitretur, — scripta Hamanni vel obiter inspecta ostendunt eum et animo et studio non modo adversatum eiusmodi animi meditationi ad finem nullum tendenti, ac plane contrarium fuisse huic amori, qui

*) H. S. II, 59.

esse quidem videbatur, quamvis non esset, quod amaretur, sed extitisse per totam vitam propugnatorem et tutorem maiorum et multo efficaciorum ipsius vitae degendae consiliorum. Quod non solum aequalibus eius et maioribus et minoribus natu doctrina maxime conspicuis persuasum fuit, sed etiam nos laudibus merita eius extulimus, iisque eo maioribus, quo magis nostris demum temporibus intellectum est, qualis fuerit Hamannus, ut recte ac juste de eo judicaverint. Attamen ne nostro quidem tempore iniqua de eo desunt iudicia. Quae Hegelio reprehendenda in eo videbantur, infra sunt perpensa, quibus perpensis haud erit, quin contrariae Hegelii sententiae assensurus sit. Praemittenda tamen sunt ea, quae Hegelius de Hamanni morum conditione ac dignitate, quos in fine vitae enarrationis describere haud alienum erit, dixit. Postquam enim e conspicua animi pertinacia Hamanni, quae adeo malevolentia dicenda sit, pravam fuisse et perversam educationem conjecit, addit haec: (Bd. XVII. S. 50.) „Auch kein anderer Keim zu einer spätern höhern Selbsterziehung von Innen hat sich in Hamanns Jugend hervorgethan, nicht irgend eine Poësie in dieser Lebenszeit, oder wenn man will Phantasterei und Leidenschaft, die ein zwar noch unreifes ideales, aber festes Interesse für einen Gegenstand geistiger Thätigkeit enthält und für das ganze Leben entscheiden wird.“ Ubi autem verba de extremo Hamanni vitae tempore, quo in Jacobii domo fuit, fecit, haec habet:

„Man sieht hier zwei Männer (Hamann und Jacobi) so gebrochen in sich, der Belehrung auf dem Wege menschlichen Daseins zu gehen noch so bedürftig, die schon ein so tief bewegtes Leben des Gemüths durchlaufen hatten.“

Quae reprehensiones repetuntur atque augentur a Gervino hoc modo: (Neuere Geschichte d. poët. Nationalit. S. 438.) „Hamann's ganzes Thun und Leben ist in Wirklichkeit nicht allein schwach und fehlervoll, sondern macht auch die Prätension, für wohlthätig und schön angesehen zu werden. Keine Grösse der Denkungsart oder Handlungsweise bricht aus den breiten Memoiren seines innern Lebens (den zahlreichen Briefen in der Ausgabe seiner Werke von Fr. Roth. 1821.) hervor, aber desto mehr Unschönes und Kleines, bei der grössten

Einbildung auf sein eigenes Selbst." — Qui postea eos, qui Hamannum admirantur, sic alloquitur: „Thörigte Bewunderer, die ein Leben voll Irrungen, eine Schriftstellerei voll Barbarismen, einen Charakter voll Blössen als ein Muster bestaunen," suadetque ut abjiciatur inanis haec admiratio. S. 439.) In adumbranda autem Hamanni imagine tanta usus est severitate, ut merito cuique in eum liceat transferre, quae Plinius de Euthycrate pictore dicit: „austero maluit, quam jucundo genere placere." „Man muss warnen, dicit enim Gervinus (S. 447.) ubi rationem quae Hamannum inter et Iacobium intercessit, attingit, wenn Hamann und Jacobi ihr Eines, was Noth ist, predigen und ihr εὕρηκα rufen; denn aller Weisheit Prüfstein ist doch nur der reine Abschluss mit dem Leben, und hier verzagt der Eine und verzweifelt der Andere." — Uterque iudex Gervinus et Hegelius in Hamanni morum conditione describenda nituntur partim vita ab ipso conscripta, partim epistolis, quibus quodammodo haec vitae enarratio continuata videri potest. Hegelius errores inconstantiaeque documenta Hamanni hominis simul et scriptoris cum ad eius naturam tum ad causas ex rebus externis necessitate quadam sequentes refert. Gervinus contra errores et contrarias agendi rationes, vitiaque alioquin inexplicabilia cum Niebuhrio ex vi quadam daemonica, quae interdum praevaluerit in Hamanni animo, profecta esse censet, quae daemonica vis non modo ingratum erga amicos, malignum, obstinatum, aliorumque consilia meliora non accipientem eum reddiderit, sed vel simulatorem pietatis et religionis fecerit. Iam vero prioribus temporibus Hamannum videmus contra castigatores tales se defendentem. (H. S. Gedanken über meinen Lebenslauf I, 235: Gott hat sich insbesondere des Briefwechsels meines Freundes bedient, mich gegen den Sauerteig des Aberglaubens und der Heuchelei wachsam zu erhalten.) Quae igitur ipse adtuli de Hamanni vita, ea hanc ob rem prolata sunt, ut ex parte alia magis laudabili consideraretur, quae si nimiis laudibus cuiquam exornata a nobis videatur, animo perpendat, velim, diuturna familiaritate cum aliquo facile amorem eius atque inde etiam praedicationem excitari. Quod in nos cadere haud inviti concedimus, quamquam pro viribus id egimus, ut iustissime de eo

iudicaremus, neque vero ut praeter merita eius laudatores exsisteremus. Atque hoc certe ex descriptione nostra apparebit, hoc Gervini de Hamanno iudicium: eum egestate oppressum, levem, imbecillum, enervatum fuisse, simulatoque potius animi moerore laborasse, hanc, dico, sententiam inter fines angustiores coerceri necesse esse. Quo facto tamen eius natura non satis intelligitur, neque satis, qualis fuerit, perspicitur. Quare iocans Hamannus ipse de animi indole hanc sententiam exhibet: (VII, 14.) „Ungeachtet ich weder zum Helden, noch Märtyrer, noch Mönch geboren bin, so besitze ich doch eine kleine Anlage zu Allem und in dieser Mischung so verschiedener Elemente besteht vielleicht die Idiosynkrasie meines Charakters.“ — Non magis autem, quam in hoc acquiescas iudicio, quod aequalis quidam nimis in universum de eo exhibuit, Scheffnerus (Mein Leben, wie ich es selbst beschrieben S. 206. ff.) dicens, fuisse Hamannum virum mentis solidae, summae humanitatis, et propter immensam imaginandi et fingendi artem miro modo mixtam in eo fuisse innocentiam quandam cum vehementia affectuum etc.; nam nimis late, neque satis distincte haec sunt dicta; contra alius ipsam animi naturam atque vim respiciens, epistolam ad Hamannum scriptam ita finit: (Jacobi W. IV, 3, 265.) „Ihre Einfalt und Ihre Laune, Ihr Kinderglaube und Ihr Skepticismus, kurz Ihre Menschheit, wie sie ist, und ich sie kennen lernte, ist für mich oft eine Speise und ein Trank gewesen, der meinen ganzen Menschen aufs heilsamste durchregte,“ cui iudicio Jacobii denique adiiciendum est, semel hoc: (Jacobi's Briefwechsel I, 446.) „Ein wahres $\pi\tilde{\alpha}\nu$ ist dieser Mann an Gereimtheit und Ungereimtheit, an Licht und Finsterniss, an Spiritualismus und Materialismus,“ — deinde ad fratrem haec scribens: „Der Genuss, den ich an ihm habe, lässt sich nicht beschreiben, wie denn immer bei ausserordentlichen Menschen, was ihren besondern und eigentlichen Eindruck ausmacht, gerade das ist, was sich nicht beschreiben oder angeben lässt. Es ist wunderbar, in welch hohem Grade er alle Extreme in sich vereinigt.“ Atque hinc apparet, quam apertum atque verum illud iudicium sit, quod Hamannus de se ipso protulit supra a nobis exhibitum. Neque possumus, quanta-

cunque est reverentia, quam auctoritati virorum, qualis fuit Niebuhrius, tribuimus, quin daemonicam quandam vim credamus, quae causa sit atque explicatio eorum, quae animo hominum obscura atque inexplicabilia videntur. Nam in homine ipso ratio illa est abscondita dissolvendorum quasi aenigmatum, quae cogitando et agendo offeruntur. Atque huc faciunt ipsius confessiones Hamanni, meo judicio prope singulares, (Gedanken über meinen Lebenslauf, Briefe.) in quibus princeps illa Hamanni virtus atque doctrina, ut nosmet ipsos noscamus (H. S. II, 198. Nichts als die Höllenfarth der Selbsterkenntniss bahnt uns den Weg zur Selbstvergötterung. Jacobi W. IV, 3, 197: Selbsterkenntniss ist und bleibt das Geheimniss ächter Autorschaft. Sie ist der tiefe Brunnen der Wahrheit, die im Herzen, im Geiste liegt, von da in die Höhe steigt und sich wie ein dankbarer Bach durch Mund und Feder ergiesst, wohlthätig ohne Geräusch und ohne Ueberschwemmung.) reperitur. Homo sum, ita alloquitur Hamannus Jacobium, humanam conditionem nosti ex parte praestantem ex parte miseram. (Jacobi IV, 3, 11. Cf. H. S. VII, 142, 145.) Hamannum vero praestantiori ac meliori humanae naturae parti verbo et facto obsecutum esse ac se dedidisse, quis infitias eat, nisi iniustissimus quisque?

(H. S. VI, 208: Das Wort, homo sum, bleibt immer die schwerste Aufgabe, das tiefste Räthsel für den sensum communem.

VI, 286: Ach, wenn Sie wüssten, was in dem Wort Homo sum für eine Welt von Ergo's nach meinem Geschmacke liegt!

VII, 145. Homo sum — das Fundament aller übrigen Verhältnisse.)

Nemo hoc sine injuria potest negare, nemo ignorare humanitatem Hamanni et re et verbis nobilem. Cor ei est primum mobile et animus, cuius impulsu omnia aguntur, quae majoris momenti sunt, quibusque longius tempus manendum est. (III, 382).

Hoc meliori sensu fretus omnia audet suscipere (III, 134.) et prope in eo sibi videtur esse, ut ad finem perveniat (III, 40.) atque consequatur illud, quod animo summum et abso-

lutissimum obversetur. (Jacobi IV, 3, 116.) (Giebt mir Gott Glück und Kräfte, mein Ideal, das in meiner Seele gährt, darzustellen.)

Quodsi tanta conceditur potestas atque potentia sensibus ipsis atque affectibus, illud etiam, quod secundum naturae fragilitatem omnibus hominibus communem in omnes cadat necesse est, non potest deesse. A fastigio enim illius potentiae sensibus tributae dejecti ad contrarium feruntur, summamque miseriae humanae explicatam ante oculos habent ac sentiunt. — Neque vero Hamannus veritus est, (cum ipse dicat III, 381. ohne die Vertraulichkeit gewisser Blössen und Schwachheiten findet kein Genuss der Geister statt.) etiam vitiorum suorum proponere nobis adspectum, quae nos, cum censura eorum ab ipso acta sit, admiratione simul atque horrore afficiunt. —

Horrore dico. Quis enim est, quin magis aut minus agnoscat in confessionibus illis imaginem animi eiusdem motuum atque affectuum?

Sub hac autem humilitate vere christiana, occultam fuisse vanitatem ac superbiam Hamanni nemo, cuius quidem est in rerum causas inquirere, Gervino assentietur hoc saepius contendenti. —

Sensuum autem illorum varietas et vicissitudo, quae cum in rebus gestis, tum in sermonibus Hamanni apparet, atque alium alio tempore eum praebuit, haud mediocriter aucta est ea, quam supra commemoravimus vitae externae misera conditione, innato quasi animi vigore atque ineffrenata affectuum vi. In quibus nihil magis perspicue animum, moresque eius describit, quam quod affectuum aestu atque impetu abreptus cum Luthero, qui simili affectuum turba commotus, parietibus mensaeque inscripserat: „vivit, vivit, vivit!", comparat se ipsum. (H. S. VI, 122.)

Sed his animi affectibus vehementioribus non modo se cognoscit obnoxium, convivasque appellat, (seine Tischfreunde III, 69.) qui sint timendi; verum, quo mores eius explicari, resque inter se dissidentes maxime nequeant conciliari, superat eos prudentia et intelligentia, qua, quamquam maxime gnarus motuum suorum vehementiae id agit, ut eos ad viam, modum-

que et vitae et literis utilem reducat atque in ea contineat. (VI, 287. Dergleichen kritische Lagen, wo die Leidenschaften stürmen und den Grund aufrühren, sind mehr lehrreich, als anstössig für mich, mehr erbaulich, als ärgerlich.

I, 494. Ein Herz ohne Leidenschaften, ohne Affecte, ist ein Kopf ohne Begriffe, ohne Mark.)

Amorem si velis vitae ponere causam et principium, nonne, ait Hamannus, hic affectuum princeps est? (I, 69. Cf. I, 73.)

Quod autem ad literas artesque pertineat, alio loco dicit: (II, 287.) „so liege die Vollkommenheit der Entwürfe, die Stärke ihrer Ausführung, die Empfängniss und Geburt neuer Ideen und neuer Ausdrücke; — die Arbeit und Ruhe des Weisen, sein Trost und sein Ekel daran im fruchtbaren Schosse der Leidenschaften vor unsern Sinnen vergraben.“

Quae quum ita sint, Hamanni propriam fuisse naturam vere humanam, constat; nam voluptatibus, etsi in deditionem earum non venit, paululum indulsit, et quum intelligeret, prorsus ab homine fugari eas non posse, tanquam comites habere voluit, easque tales, quae non dominentur, sed eodem, quo ratio fruantur iure. Cf. Jacobi IV, 3, 346: „Glaubst Du, oder verlangst Du ausser den Empfindungen klare Beweisgründe? — Wenn wir eins sagen, verstehn wir Beides.“

Quare id potissimum spectavit, quomodo rationem et voluptates, sensus et intelligentiam coniungeret. Inde igitur explicationem ferunt, quae mira et inexplicabilia in Hamanni natura visa nobis sunt. — Juvat operaeque pretium est, intueri virum, qui viribus fretus, earumque conscius, affectuum impetui latus apertum dare nec dubitat, neque animi vi et ingenio, voluntatis robore ac firmitate iis repugnat, sed in ordinem ac fines iis coërcitis, se, quamquam aliquoties collabefactatur atque humani aliquid perpetitur, sustentat. Neque ea solum commoda in homines conferuntur affectibus, sed ad cognitionem quoque divinarum humanarumque rerum, ut supra ostendimus, iidem valent, etenim qui affectuum aestu maxime movetur, animi ardorem in litterarum tractatione non minus prae se feret. Quod, qua ratione Hamannus primus fecerit, et quomodo non tam sui ipsius agendi rationis eventu, quam significationibus litteras promoverit, dum affectuum potestati,

cui refragari Hamannum non ubique potuisse supra dictum est, sensus tamen peculiaris se admisceret, ac semper fere dominaretur, nunc erit reliqua dissertationis nostrae parte exponendum. —

DE SCRIPTIS HAMANNI.

Exordium scribendi.

Bene observaverunt multi, explicuit nemo, quam miro modo sors agat in attribuendis unicuique iis, quae naturae eius aptissima sint. Quae ut animadvertamus, inducit nos id, quod Hamannus cepit scribendi exordium; — nam verba eius, quae leguntur haec: (Hamann's Briefwechsel mit Jacobi IV, 3, 317.) „Meine Autorschaft steht mit meiner äusserlichen Lage in so genauer Verbindnng, dass jede ein Theil des Ganzen ist,“ excusationi nobis erunt atque comprobationi, quod, antequam in singula eius scripta inquisivimus, eaque interpretari conati sumus, singulis externarum conditionum descriptionem, quibus valentibus composita sunt, praemisimus.

Hamanni igitur in Britannia commoratio, (Vide vitam, cf. Hegel. t. XVII. p. 51—55, Gervin. op., Hamann. scr. I, 196.) quo ipsius desiderium amicique cujusdam senioris, qui hac re eum simul vitae communis negotiis adsuescere volebat auxilium, cum deduxerat adolescentem atque incautum eo redegit, ut, quo se verteret quidque ageret, nesciret, sed perturbatus atque longe ab eo, quod intendendum ei fuisset, aberrans erroribus variis scelerique pernicioso sese traderet. Quare factum est, ut, nescio an fortuna secunda a negotiis mercatoriis ad alia eaque prorsus diversa, sed a natura eius minus aliena se convertere fere cogeretur. Gervinus (p. 440.) acrius hoc ita narrat: „Als er nach England kam, blickte er noch grundtief in die Kloake des Londoner Lebens, ward nach Freundschaft durstig, bitter getäuscht, führte ein lüderliches Leben und schlug dann plötzlich um zum Bibellesen und Beten etc.“ — Jam vero, quum in Angliam proficiscens Amstelodami versaretur, animus eius inquietus erat, se ipsum despiciebat ac plane de se desperabat, unumquodque consortium cum aliis

respuens, quae Hamanni conditio, ut ridicula fere appareat, ab Hegelio (l. l.) ita iudicante describitur:

„In dieser Stadt, sagt er, dass er alles Glück, Bekannte und Freunde nach seinem Stande und Gemüthsart zu finden, worauf er sonst so stolz gewesen sei, verloren; so dass er glaubte, dass sich Jedermann vor ihm scheute und er selbst scheute Jeden; von jener einfachen Erfahrung in einer ganz fremden holländischen Stadt, weiss er sich keinen andern Grund anzugeben, als dass Gottes Hand schwer über ihm gewesen etc."

parum respectis, opinor, iis, quae Hamannus ipse in vitae enarratione (Gedanken über meinen Lebenslauf l. l.) ad explicandam animi solitudinem atque perturbationem dicit, nescisse se, utrum mercaturam an literas appeteret, quibus haec subiicit:

„Ich trug immer den Vorwurf gegen mich selbst herum, dass ich an meinem jetzigen Wechsel nicht wohl gehandelt hätte."

Huic haesitationi, qua dubius iactabatur, quum propria vi mentis imperare non posset, medelam tandem invenit in libris sacris, quos cupidissime arripuit, arreptosque perlegit. Quibus evolvendis legendisque occupatissimus ac fere totus in iis fuit, ut omnino res externas negligeret ac totus ex se ipso aptus esset, reiectis vel iis, quae rerum humanarum imperio obsequens honeste facere potuisset. In hac solitudine sponte captata recuperare studuit vires contra errores suos et infirmitates, quorum magnitudinem ipse acerbissime ac verissime ita exponit, ut confiteri non dubitet, malam sibi non defuisse voluntatem, qua in maiorem, quam qua premeretur, incurreret miseriam. Causam vero istarum perversitatum conditionisque per varia vitia ad desperationem adducentis in eo positam esse putat, quod dei divinarumque rerum cognitionem adhuc neglexerit; ad quem aeque atque ad veritatem ut rediret animo poenitentia contrito externa se commotum esse conditione ait. Capto hoc consilio certo statim confidit, deum opitulaturum sibi esse auxilio tanquam oblato. Quod quidem auxilium cum ex rerum natura, tum ex verbis dei in libris sacris, qui vocantur, exhibitis apparere opinatur, quare suum esse, ut

ea interpretetur atque se ipsum aliosque iisdem in melius mutet. Quo factum est, ut singuli librorum sacrorum loci passim ansam ei praebuerint in libello ab eo conscripto (Biblische Betrachtungen eines Christen I, 52 ff.) interpretationis ingeniosae atque allegoricae proferendae sapientiaeque singularis in enucleanda sententia ostendendae. Universam autem interpretationem tegit, quod perspici non potest, quasi velamentum verae fidei, quare accuratius verba de ea facere non possumus, atque haud facile est ad intelligendum, qua ratione ex vera ista fide, nisi quis agendo etiam se bonum probaverit, auctoritas semetipsum aliis meliorem censendi originem ducat, qui in miseriis calamitatibusque et ubique agendo virtutem praestiterunt. — Est autem libellus iste neque quod ad formam, neque quod ad argumentum pertinet talis, qualis considerationem ampliorem requirat, sed propterea tantum commemoratione non indignus, quod proponitur in eo fidei tamquam norma, quam mox, ut proponat et paulo postea corrigat multifariamque accuratius definiat, impulsus est mentis indole atque natura, qua suscepit fidem, quam dicunt, Christianam. Hanc religione imbutam ac paene impletam mentem, qua deum amplecteretur respectu inprimis habito libelli hujus primi ab Hamanno scripti, declarari philosophiae, quae ab omni disciplina et schola i. e. ab unitate et continuitate abesse debeat, a Friderico Schlegelio (Schlegel's deutsches Museum 3tes Buch S. 33 ff.) summam, mirum est tantoque magis mirum, quod Hamannus ad tuendam fidem suam Christianam inimicum se et osorem totius eius temporis philosophiae praestare necesse ac mansurum esse putavit. (H. S. I, 54, 55.)

Inde pariter atque ex iis, quae de illo opere diximus facile intelligi potest, quatenus Schlegelii judicium: metaphysicam non aliquo systemate contineri, sed ex singulis Hamanni dictis, parum inter se connexis, constare, valere possit atque probari; nam si Hamannus, ut Schlegelius dicit, de via systematica qua rationem aucupantur (den breiten Vernunfttappenden Systemweg) deflexit, sensus honesti ac religiosae fidei, si licet ita dicere, voci obsecutus, recte profecto alienus ab omni philosophia fuisse dicitur, cum philosophia nihil nisi dei cognitionem ac nisi ratione radicitus revocata ad artem ac praecepta

norma non sit, ad quam verum exigatur. — Unde originem duxit etiam haec alia eaque falsa Schlegelii opinio: qui vere philosophus sit, eum id tantummodo, quod verum sit, eam ob causam quaerere, ut sibi ipsi vel quieti sui ipsius satisfaciat; viamque porro philosophi arduam ad fontem tendere, qua non cuique concessum sit, pergere et contendere. Vix necessarium in hunc modum de absoluta ratione deque inaccessa (*οὐ πάντεσσι βατός* dicitur Graecis Thucydides quem perpauci possint intelligere) veritate, quam plurimi non assequantur, cum veritatis intelligentiam et internum cum Christiana fide nexum omnibus communem explicare philosophiae tantummodo esse debeat, iudicantem refellere videtur, praesertim cum perpauci eius sententiae assentiantur. Tamen haud alienum erit attulisse, quae de hac re sripta sunt a Schellingio: (v. Schelling's philos. Schrift. Erster Band S. 205.) „Gerade die gesunde Philosophie, da sie nicht der Schule, sondern dem Menschen angehören soll, muss auch in jeder menschlichen Sprache verständlich sein."

Confirmantur autem haec verbis nuperrime ingeniose dictis his:

„Wenn die Philosophie den Beweis ihrer Wahrheit selbst führt und die Uebereinstimmung Vieler sie noch nicht zur wahrhaften macht, so liegt es doch andererseits durchaus im Wesen der Wahrheit, dass sie als *Allgemeingut Aller*, nicht nur von *Einzelnen* gewusst wird." (Die Philosophie unserer Zeit, von Schaller. Leipz. 1837.)

Verum enim vero praetermittenda non videbatur propterea haec falsa Schlegelii sententia, ex qua Hamannus immerito philosophus nuncupatur et Kantio praeponitur, (Schlegel l. l. p. 34: Ueberhaupt übertrifft Hamann an eigentlichem metaphysischen Tiefsinn Lavater und Lessing weit. Selbst Kant darf ihm, glaube ich, hierin nicht gleichgestellt werden.) quoniam iudicium prolatum a viro, qualis est Schlegelius haud dubie vel nunc vim et auctoritatem habet summam, a quo recedere plerisque nisi rationibus gravissimis valentibus nefas videatur. Atque hoc ipsum Schlegelii de Hamanno iudicium, ex quo in illius scriptis profundam quandam rerum supernaturalium scientiam et sapientiam, quam mente capere non possi-

mus, contineatur, ni prorsus fallimur, hoc valuit, ut alii a legendis eiusdem scriptis deterrerentur, alii, qui operam iis navarent, praeoccupata hac opinione in errores inducerentur. — Rationem, quae, ut ita dicam, Hamannum inter et philosophiam intercedebat, inimicam fuisse philosophiae illius temporis supra significavimus; hanc vero ipse non aliis causis defendit, nisi eo, quod philosophia ista suimet ipsius animi naturae ac sensui cuidam eam respuenti refragetur. Quem quomodo confirmandum atque corroborandum crediderit, qua ratione in eodem vitae suae laborem et studii finem positum esse opinatus sit, eoque ductus fortiter semper resisteret, accuratius erit enucleandum. — Cum vero ex priore cum Kantio familiaritate causa prodierit, quod contrarium scribendi argumentum Hamannus appetiit, necessarium est, ut mutuum eorum commercium ex Hamanni ad Kantium litteris explanemus. Quum enim Hamanni amici omnes post irritos tot labores nondum abiecissent spem fore, ut eum a dissoluta atque otiosa vita, qualem appellabant, quam Regiomontii degebat, averterent, inter alia usi sunt Kantii, communis eius et omnium amici intercessione et auxilio. Quodsi tempore proxime antecedente Hamanni cum Kantio consortium externum quoddam erat et propter contrarias utriusque sententias haudquaquam familiare et vere amicum, quamquam Kantius eo, quod sponte se socium operis coniunctim edendi offerebat, hoc mutare familiariusque reddere studebat; (H. S. I, 431, 505, 508, 512.) iam oblata videbatur occasio, delato ad Kantium intercessoris munere, ut, quod per literas fieri non poterat, societatis vinculo iungerentur. Opus autem illud, cujus mentionem modo fecimus, a Kantio propositum hoc erat:

Anno MDCCLXIX in epistola quadam ad Kantium scripta Hamannus commemorat opus quoddam, in quo, quae tractanda fuerint e verbis Hamanni divinare tantum possumus. (H. S. I, 505. Wir möchten vielleicht, ita scribit de libro edendo, von einem Geschick dazu sein, und von einem Zuschnitt, der zusammenpasste, — et de eodem paulo post: Nicht der Beifall des gegenwärtigen Jahrhunderts, das wir sehen, sondern des künftigen, das unsichtbar ist, soll uns begeistern. Wir wollen nicht unsere Vorgänger beschämen, sondern ein Muster

für die Nachwelt werden.) Nihil aliud erat sine dubio nisi physica quaedam pueris destinata, de qua describenda et primis limitibus circumscribenda Hamannus excitatus Kantii sermonibus suum esse arbitratur epistolis quaedam tradere et suum proferre iudicium (II, 446 sqq.) quod a Kantii iudicio longe recedebat. Ex epistolis duabus Hamanni satis hoc apparet, in quibus primum de forma, quae hujusmodi libro tribuenda sit, deinde de re ipsa, quae sit tractanda in hunc modum verba fecit: non arreptis aliorum variis pennis exornandàm, sed sponte omissa aetatis et sapientiae praestantia, omnique abiecta ambitione initium libri esse faciendum, semperque optimum esse et fore, ei, quod Moses posuerit fundamento, inaedificare rem (II, 448, 49.) neque pudori esse debere, ut dicit, ligneo historiae mosaicae equo vehi.

Sententiam hanc in posteriore epistola iisdem fere verbis repetit, (I, 510.) eamque amplius et accuratius tractatam proposuit in libello duas ad Kantium scriptas continente epistolas, qui inscribitur: Prolegomena über die neueste Auslegung der ältesten Urkunde des menschlichen Geschlechts (IV, 186, 195.) Sed omnis eius eloquentiae vis et interpretandi ars, qua „casam stramineam in splendidissimam Deorum sedem" mutavit, in eo collocata, ut commendaret consilium atque fundamentum physices exstruendae a se propositum irrita fuit, nam a Kantio, ut ex Hamanni epistolis colligitur, silentio omnino hoc consilium reiectum est. Spes concepta in concordiam sempiternam cum Kantio redeundi, de qua Hamannus ita scripserat, non fore eam in ideis, neque in illis quaerendam et conservandam esse, sed in ea vi, eoque animo, cui vel ideae subiecta sint, veluti imagines oculorum dextri, sinistrique uno visus nervo coalescant, in perpetuum erat falsa.

Neque mirum potest videri, quod Kantius non assensus est, nam reapse intelligitur, eum, qui rationem tantummodo sequatur, animum non potuisse advertere ad eum, qui verba librorum sacrorum tanquam divinitus mandata sequatur, quamvis is ingeniosissimus sit, sed quum utriusque via longe distenta fuerit, repudiare eum coactum fere fuisse.

Iustas amicorum adhortationes, qui socordiam, quam in comparando munere, quaerendoque victu praebeat, vehemen-

ter reprehendunt, agnovit quidem, praecavit tamen sibi ea, qua erat strenuitate ab omnibus, quae inde facile proficiscebantur postulationibus, utpote quae vix exsequenda sibi continere viderentur. (H. S. III, 201, 184, 185.) Amico cuidam respondet haec: (I, 363.) Meine Bestimmung ist weder zu einem Kauf-, Staats- noch Weltmann.

Ibidem lucide exponit, se tandem eo pervenisse, ut intelligeret nunquam fore suum, mercatorum libros, aut ephemerides publicas conscribere. Quibus ex verbis atque ex confessionibus consentaneum est consequi id, quod Hamanno proximum, quodque ei paene officium, negotium fuerit, nihil posse aliud, nisi scriptoris munus esse; ex epistola certe Hamanni ad Jacobium apparet, (Jacobi's W. IV, 3, 13.) convenisse eum duos, Kantium scilicet et Berentem, qui eum ad scribendum commoverent. Quare Hamannus oblatam arripuit occasionem atque scribendi initium inde capit, ut primum in libello, quem „memorabilia Socràtica“ inscripsit (Hamanns Schriften. Zweiter Band. Sokratische Denkwürdigkeiten.... Mit einer doppelten Zuschrift an Niemand und an Zween.) quae sentiret atque judicaret de literis, deque mutua earum coniunctione, atque continuitate e loco, quo ipse constitutus erat peculiari, in universum et paulo latius proferret, simul vero permulta ipsi propria huic iudicio immisceret, ut ubique singularem, quae erat animi eius conditio, prae se ferret ac defenderet. —

Quodsi non necessarium est, cum Hegelius accuratissime perscrutatus sit, partem Memorabilium, illum animi statum Hamanni tractantem, hanc fusius atque uberius explicare, alteram tamen haudquaquam praetermittere possumus, quippe in qua elementa totius ejus scribendi generis et negotii, cujus exordium viam jam certam monstravit, collocata atque in unum nunc conjuncta reperiantur. — Atque hic quidem fiat necesse erit, ut contra auctorem ipsum, de quo agimus, aliquid in medium proferamus, quum eum ipsum non ubique recte perspexisse, quid sibi voluerit, ostendi haud difficile potest. Nam si apertis verbis confitetur: (Jacobi IV, 3, 12.) ea, quae scribat universa, ex singulis vitae conditionibus originem traxisse, et ad modum singularem, quo aliquid consideraverit, esse

referenda, ex scriptis eius omnibus facillime demonstrari potest, scriptoris hoc de se ipso iudicium in singulas tantum operum suorum partes quadrare, quas quidem e statu maxime singulari, minutissimisque de causis prodiisse confitearis necesse sit, sed quae ei obstitisse atque offecisse dicit, (Jacobi l. l. 205.) quominus summam et ut ita dicam, ideam sui operis totam amplecteretur, atque retineret, anxietas quaedam e morbo, ut videtur profecta, diu nunquam valuit nec magni momenti est aestimanda. Quod autem diximus, scriptorem ipsum non tam accurate sensisse atque perspexisse consilium, finemque, quo tenderit, confirmatur etiam sententia hac a Kantio prolata: (Kant's Kritik der rein. Vern. Dritte Aufl. S. 370.)

Ich merke an, dass es gar nichts Ungewöhnliches sei, in Schriften durch die Vergleichung der Gedanken, welche ein Schriftsteller über seinen Gegenstand äussert, ihn sogar besser zu verstehen, als er sich selbst verstand, indem er seinen Begriff nicht genugsam bestimmte und dadurch bisweilen seiner eigenen Absicht entgegen redete oder auch dachte. Quare id, quod ei a compluribus crimini datur atque exprobratur, in diversissimas partes trahi eum atque fluere sine consilio ac fine, (Gervinus: Er liess sich zu hundert (?) Flugblättern durch die unwürdigsten Kleinigkeiten des Privatlebens zerstreuen und zersplittern. (S. 437.) Er haftete in seinen Studien auf nichts fest; Theologie, Rechtswissenschaft, Alterthümer, schöne Wissenschaften, Kaufmannschaft und Alles versuchte er ohne Bestand. (S. 439.))

et in inde minutias sectari agendo et cogitando, concidat, necesse est. Mores autem ac naturam hominis eiusdemque scriptoris disjungi vix posse, quippe quum scribendi ratio ex hominis indole saepe explicationem ferat, ac vicissim mores ex scriptis explicentur, hoc dignum est, quod diligentissima quisque disquisitione percontetur. Quod ut a multis intellectum, ita acutissime his verbis expressum est ab Alex. de Humboldt in praefatione operis fratris Guil. de Humboldt: Ueber die Kawisprache:

Eine gewisse Grösse in der Behandlung eines Gegenstandes entspringt nicht aus intellectuellen Anlagen allein,

sondern vorzugsweise aus der Grösse des Charakters, aus einem freien von der Gegenwart nie beschränkten Sinne und den unergründeten Tiefen der Gefühle.

In Hamanno autem utrumque tam arcte coniunctum fuisse, ut, cum ex eius vita colligi potuisset, quomodo scribere oportuisset, tum ex eius scriptis ad cognoscendum, qualis esset, haud difficile fuisset, Hamanni libros vel obiter tantum inspicienti persuasum erit, accuratius autem in eas inquirenti, summam afferet voluptatem. Proprium tamen est Hamanni, qui ut ipse dicit Deo gratias agit, qui miro eum composuerit modo, (I, 373.) ex parte quo tendat nescire se confitetur, ex parte vero sedulitate quadam perquam cauta levissimas quasque digressiones a recepto omnibus scribendi modo, orthographiam dico, consulto et tantum ex causis non magno in discrimine ponendis sibi permittat. —

Non temere igitur, sed rationibus ductus, quae primo aspectu intelligi nequeunt, versus quosdam Persii, quem prae ceteris plures ob rationes, uti in litteris ad Herderum scribit, in deliciis habuit, titulo operis sui adiecit. Adiuti iis, quae ipse ad hanc rem declarandam protulit, quaeque in operibus eius omnibus inveniuntur, lubentissime concedimus similitudinem quandam et affinitatem inter utrumque scriptorem intercessisse eo, quod uterque pugnans contra corruptelam morum sui temporis vindex doctrinarum perversarum et sententiarum extiterit, alter vero, Hamannus, permutationes conversionesque maximas in philosophia viderit, ab iisque actus sit, civiles praesagio quodam praesenserit atque exoptaverit, alter contra philosophicis et religiosis penitus correptus, eas in se suscipere atque digerere coactus fuerit. Externis hisce causis, quas in utroque scriptore mirabile sane videri potest, attribuendum est, quod uterque obscuro ac passim contorto scribendi genere est usus; abiicienda igitur et impugnanda est eorum opinio, qui cum alicuius loci sententiam aut vinculum, quod singulas quasdam enuntiationes nectit, deprehendere nequeant, aut solo arbitrio ductum esse scriptorem dicunt, aut eundem ludificari lectores voluisse ponentes clamant, operam esse perditurum, qui absconditis istis sententiis lucem afferre suscipiat.

De argumento autem operis si quaerimus, recepisse Hamannum quaecunque antea sermonibus vel per epistolas ab ipso tractata erant, denuo in Memorab. Socrat. facile potest cognosci, in quo libro Socratis vita et doctrina, quasi velamento usus est, quo fidem religionis Christianae tegeret. (V. H. S. II, 12: Ich habe mich — bequemen müssen, meiner Religion den Schleier zu borgen etc.)

Qua ex ignorantia Socratica, omni parte circumspecta, quum granum universae sapientiae humanae putrescat h. e. ignorantia consumatur necesse sit, (Sokr. Denkw. Zweiter Abschnitt. S. 38.) antequam ex hac morte vita atque ex hoc, quod nihil est, id quod est h. e. intelligentiae, rationisque natura prodeat, transitum censet fieri ad fidem, quae, ut originem a ratione nunquam ceperit, ita nunquam ejus telis confici possit; neque magis demonstrari queat, (S. 36.) quam quod et esse nos, et plurima esse extra nos dicamus, utpote quod sentire quidem, convincere autem non possimus. (S. 35.) Quare Socrates ex Sophistarum eruditorum erroribus ad veritatem reconditam ac secretam sapientiam ad Dei ignoti religionem veniret, deduceretque homines (S. 42.) necesse erat.

Huic fide partae sapientiae frustra repugnat Humeus dubitationibus et rationibus. Quodsi in transcursu monendum nobis est, mature Hamannum animum atque attentionem advertisse*) (VI, 154, 158, 187.) et quantum scriptis suis acumen proderet, ostendisse, id quod certe ad eos, qui conjuncti cum ipso erant, ad Kantium inprimis vim habuit (VI, 244. Hamannus Herdero: So viel ist gewiss, dass ohne Hume kein Kant geworden wäre. Michelet I, 42. Kant gesteht in seinen Prolegomenen selbst, dass der grosse Plan zur Kritik der reinen Vernunft, deren Ausarbeitung ihn viele Jahre beschäftigte, erst durch einen fremden Impuls zur Reife kam. „Die Erinnerung des David Hume war eben dasjenige, was mir zuerst den dogmatischen Schlummer unterbrach und meinen Untersuchungen im Felde der speculativen Philosophie eine ganz andere Richtung gab.) restat ut, quid praemissa hac de fide sententia, de philosophia judicandum putaverit, videamus.

*) In epistola Hamanni ad Kantium scripta v. I, 442—43.

Philosophos nimis acerbis castigans verbis dicit esse: magistros multitudinis canonem fere exhibentes, artium virtutumque immerito laude celebratarum, (S. 40.) qui longe post antecessorem, divumque patronum atque exemplar, Socratem dicit, relinquantur, cum ab origine Socraticae philosophiae i. e. ab ignorantia mirum quantum discedant. Philosophiam autem necessario exornandam esse alia veste, si eius historia (Einleitung, 15, 16.) non amplius ex mere cogitatis constaret, sed ad vitam magis accederet. Ita enim pro pictis philosophis, eorumque hermis belle mutilatis prorsus diversos exhibituram atque eorum mores et dicta, rerumque gestarum narrationes coloribus esse imitaturam, qui magis vitam prodant.

Si pro annalibus, pinacothecisque philosophicis fata, quae philosophia apud alias gentes, aliosque homines, aliis temporibus perpessa est, ita loci, temporis, hominum ratione adhibita describerentur, historia aeque ac philosophia longe aliam praeberent speciem. Quum vero ejusmodi philosophiae historiam tractandi rationem sequi non consueverint, Bruckeri et Stanleii opus vix ex parte perfectum et minime frugiferum, Deslandesii fere inutile dicendum sibi videri. (I, 473. Ich habe in den Sokr. Denkw. zugleich eine Probe von *einer lebendigern Art*, die Geschichte der Philosophie zu studiren, geben wollen.) Sterilem autem huncce historiam et philosophiam tractandi modum conspici quoque in tractandis antiquitatis scriptoribus, quum, qui se profiteantur viri docti, non quomodo, sed quot sint legendi, spectarent. (S. 18 f.: Hatte der Künstler*), welcher mit einer Linse durch ein Nadelöhr traf, nicht an einem Scheffel Linsen genug zur Uebung seiner erworbenen Geschicklichkeit? Diese Frage möchte man an alle Gelehrte thun, welche die Werke der Alten nicht klüger, als jener die Linsen zu brauchen wissen. Wenn wir mehr hätten, als uns die Zeit hat schenken wollen, so würden wir selbst genöthigt werden, unsere Ladungen über Bord zu werfen,

---

*) Er liess sich vor Alexander mit dieser Geschicklichkeit sehen, Alexander aber beschenkte ihn zum Lohn für diese Kunst ohne Nutzen und Gehalt mit einem Scheffel Linsen.

unsere Bibliotheken in Brand zu stecken, wie die Holländer das Gewürz*).

Quin adeo eadem esse tentatam disciplinam educandique rationem quarum auctoritas et dignitas minime excusationem admittant, qua uti consueverint, qui in superficie tantum versentur, neque in rem ipsam inquirentes notionum originem investigent, quarum ex formatione, quum notio quasi singularis quidem atque absolutus partus esse videatur, normam, ad quam mens dirigi possit, nanciscantur, opera antea data, ut vitia quaedam fere innata, inertiae vis ac superbia removerentur, quae Hamannianus Socrates ut statuarum artifex decideret atque desculperet, ut imaginis formam pulchram ac praeclaram redderet. Quare hoc maxime Athenienses Socrati crimini verterunt, (Erster Abschnitt S. 20, 21.) quod his artibus juventutem debilitaverit. Quodsi recte Hamanni sententiam percepimus, subiicit illis, quae modo commemoravimus, nova haec quidem et haud spernenda: videri sibi Socratem vere nec per ironiam se nihil scire affirmando commovisse adolescentes, ut contemplarentur se ipsos, redirentque ad cognoscendam suimet ipsorum naturam, maxime vero eo, quod ipse cupiditates quasi innatas removere studuerit, itaque eorum mentem atque animum vinculis, quibus obstricti tenerentur, liberaverit, civibus Atheniensibus profuisse. — Qua in re ut bene, quid verum esset, perspexit, ita in iis, quae de semet ipso profert Hamannus, quaeque maximam huius operis efficiunt partem, Persium in satira quarta imitatus esse videtur, id quod ipse significans: (VII, 213.) „Nicht nur Persius," inquit, „sondern auch Petron sind meine ersten Lieblingsautoren gewesen. (VII, 74.) Persius und Petron waren die ersten klassischen Quellen, die ich mit Durst und Geschmack

---

*) Locum hunc optime interpretari G. Muelleri verba videntur haecce Die vielen hunderte von Schriftstellern, deren Schriften in der Bibliothek von Alexandria vom Kalifen Omar verbrannt worden sein sollen, vielleicht nicht so sehr zum Schaden der Menschheit, als es scheint, da sich schwer-: lich eine neue Litteratur hätte bilden können, wenn diese erdrückende Masse von Büchern aus dem Alterthum herübergerettet worden wäre.
(Geschichte d. griech. Lit. Bd. I. Einleit.)

gelesen habe, ungeachtet der unbarmherzigen Urtheile über die trübsinnige Dunkelheit des einen, et c. constat autem poëtam, quum Socratem in ea satira disserentem faciat, id agere, ut homines suimet ipsorum cognitione destitutos dum ad aliorum vitia investiganda impellantur, sua nihil curare ostendat.

Quamobrem, quum Hamannus in hoc libro diversissimas res commiscendo non unum finem spectaverit, sed ut ferebat lubido, modo huc, modo illuc divagari se passus sit, quumque praeterea multa vel aperte falsa ipsi placuerint, factum est, ut primum opus illud difficile intellectu sit. (Cf. VII, 201.)

Sed si quis opinetur ex iis, quae libro illo continentur, gravissima tantum et luculentissima esse allata, valde erraverit; vix enim fieri poterit, ut praeter levissimas res aliud quid maioris momenti omisisse evincamur. Nam quae praeterea insunt in eo sententiae eae tam parum inter se cohaerent, tam abruptae, breviterque dictae, tam parum elaboratae sunt, tam denique subito, quum aliud quid ansam praebuerit interrumpuntur, ut libro edito iudici ceteroquin aequo alia Hamanni scripta respicienti interrogandum esset: „Warum er sein Gebet in kurzen, geheimnissvollen Seufzern ausstosse und seine „Brust nicht zu einem längerem Athem gewöhne (Briefe, die neueste Litterat. betreff. XII, 218. Cf. H. S. III, 121.). Warum er so selten auf den Altären der Musen opfere, parcus Dearum cultor, und nur einzelne vergängliche Blätter darbringe (ibid. 217. et H. S. 120.).

Et revera acumen eius et accuratam, qua imbutus est, vitae interioris cognitionem admirantes simul tristi quadam misericordia commovemur viri summa animi contentione reconditissima quaeque pectoris arcana recludere ac depromere nitentis, utpote quem vires haud raro ita destituant, ut prae acumine nimio hebetior appareat*) ac risu quodam daemonico, si ita dicere fas est, iocis nugisque indulgeat, lectoris scilicet pectus quod inaniter anxerit, sublevaturus. (Jacobi l.l. 135.)

Egimus adhuc de libello: Biblische Betrachtungen eines Christen inscripto, in quo summa eius, quam Hamannus de Christianismo imbiberat opinionis posita est; allata deinde sunt

---

*) Jacobi IV, 3, 188.

ex epistolis nonnulla, quae documento esse possint, qua singulari sentiendi ratione usus sit; exhibuimus denique argumentum illius operis, quo ipse se primum munere scriptoris functum esse narrat, in quodque, quaecunque prius passim singulatimque publici iuris fecerat, contulerat atque coaceraverat. Cui operi priori mox succedebant libelli alii numero plures, quos coniunctim editos (H. S. II, 102—376.) „Kreuzzüge des Philologen" inscripsit, quibus quum ex tenebris, quae ipsum hucusque circumdederant, aliquantulum inclarescere coepisset, non facere potuit, quin consilii atque finis, quem scribendo assequi sibi proposuisset, rationem redderet. Libelli eius, qui censores extiterunt, verbis quidem dissentiunt, re consentiunt, inter quos Mendelssohnus haec de eo judicavit: (Briefe, die neueste Lit. betr. 1763. bei Fr. Nicolai XVter Thl. S. 179) „Da Sie dieses seltsame Bändchen (Kreuzzüge des „Philologen) vielleicht mit Unwillen wegwerfen und die Ge„duld nicht haben werden, die wirklich schönen Stellen aus „dem Wuste hervorzusuchen." In eandem sententiam Hegelius abiens, „die Kreuzzüge des Philologen," inquit (Werke Bd. XVII, S. 76.) „eine Sammlung von einer Menge kleiner un„zusammenhängender Aufsätze, deren die meisten sehr unbe„deutend, darin doch einige Perlen sind." Praeceptorem secutus Micheletius (Gesch. d. Ph. I, 304) mentionem quoque huius libelli iniiciens aliis eum, qui commemorati sunt addit; quanti autem ad omnium Hamanni operum consilium penitus perspiciendum momenti sit, ut ex sequentibus apparet, optime intellexisse videtur.

Gervinus denique ex illo fere solo deducendum putat omnium, quae Hamannus praestiterit fontem et originem. Quod autem gravissimum est, Hamannus, id quod supra significavimus, hoc libro edito, quum magis innotuisset, atque ut ita dicam, persona publica factus esset, scribendi consilium explicare ac relicta quam antea gesserat vita privata, publicas quasdam partes suscipere coactus est. (H. S. III, 127.)

Cum Kantio vidimus jam ab initio convenire non potuisse, quapropter quum et a Mendelssohno et a Nicolaio Berolini commorantibus ad societatem cum ipsis ineundam ac literas coniunctim tractandas libellosque quosdam edendos invitatus

esset, non statim quidem hoc detrectavit, accuratius vero re circumspecta se toto coelo ab istis Berolinensium studiis abesse atque eiusmodi coniunctionem propter singularem propriamque ingenii sui indolem atque conformationem, neque illis neque sibi fructuosam esse posse intellexit. Iam continuo finem iis significavit sibi suum proprio Marte annitendum esse, posthabitis omnibus „im Apoll' freundschaftlichen Rücksichten"; H.S. III, 123—29) qualis vero is finis sit, suo tempore patefactum iri, nunc se „palinodiis" suis praelusisse tantum. Quod autem tam obscure scribat, id ignaviae cuidam et timori lectorum potius, non sibi esse imputandum, cum palam et manifesto se a plebe abdicaverit. Sed quae de industria obscure scripta sint, ea aut non magni momenti esse aut non anxie inquirenda, quum ad ipsam scriptoris personam attineant, iisque minus perspectis parum aut nihil detrimenti in lectores redundet. Praeterea, quum ex eo, quo scripta sua publici iuris facta sint, (H. S. III, 134—37.) ipse maiorem animi nactus sit maturitatem, id sibi sedulo cavere se ne amplius iuvenili quodam fervore longius a iusto proposito auferatur; imo animo principiis defixo atque intento, quid sequendum sibi sit, accurate perpendendum esse. Nicolaii consortium speciosis a se argumentis ablegat (III, ff. 172—174.) neque alio nisi laxissimo cum illo se vinculo coniungi patitur, praesertim cum Berolinensium animos a patria ipsius urbe Regiomontana alienos esse videat, quae una tantum virorum ingenii ac doctrinae laude insignium numerum contineat, quantum in tota ista regione aquilonari vix reperias. Sed audiamus quomodo Hamannus ipse illud vere salseque expresserit. „Woher kommt es," inquit l. l. p. 142, „dass Ihre schätzbaren Kunstrichter mei-„nes Wissens noch keine Beute in Preussen gemacht? — — „Vergeben Sie das kleine Brausen, mit dem mein Brief aus „seinen Ufern tritt, um die Aufmerksamkeit Ihrer Briefsteller „mehr nordwärts zu ziehen." —

Jam vero quum ad Hamanni scripta melius intelligenda maximi momenti sit, accurate cognovisse, qualis ab eo inde tempore, quo palam se scriptorem professus erat, inter ipsum et aetatem, qua vixit, intercesserit ratio, hoc est, quatenus ea, quae ex illo inde tempore aut scripsit aut egit ex aetatis

suae sentiendi agendique ratione prodierint; neque rerum statum, qui tum fuerit, literarumque conditionem, neque denique viros, qui has coluerint et auxerint, eminentissimos silentio praetermittere possumus. Cuius vero temporis, quum Hegelius (p. 42) accuratam et distinctam descriptionem, cuius partem Micheletius quoque (I, 32) suae philosophiae historiae inserere non dubitavit, dederit, non ab re fore putamus, si eam verbotenus hic repetiverimus, quippe accuratiorem viribus ingenii quamvis intentissimis exhiberi a nobis posse desperantes. Sunt autem Hegelii verba haecce:

Hamann gehört der Zeit an, in welcher der denkende Geist in Deutschland, dem seine Unabhängigkeit zunächst in der Schulphilosophie aufgegangen war, sich nunmehr in der Wirklichkeit zu ergehen anfing, und was in dieser als fest und wahr galt, in Anspruch zu nehmen und ihr ganzes Gebiet sich zu vindiciren begann. Es ist dem Deutschen Vorwärtsgehen des Geistes zu seiner Freiheit eigenthümlich, dass das Denken sich in der Wolfischen Philosophie eine methodische nüchterne Form verschaffte; nachdem der Verstand nun mit Befassung auch der andern Wissenschaften, der Mathematik ohnehin unter diese Form, den allgemeinen Unterricht und die wissenschaftliche Cultur durchdrungen hatte, fing er jetzt an, aus der Schule und seiner schulgerechten Form herauszutreten und mit seinen Grundsätzen alle Interessen des Geistes, die positiven Principien der Kirche, des Staats, des Rechts auf eine populaire Weise zu besprechen. So wenig diese Anwendung des Verstandes etwas Geistreiches an sich hatte, so wenig hatte der Inhalt einheimische Originalität. Man muss es nicht verhehlen wollen, dass dies Aufklären allein darin bestand, die Grundsätze des Deismus, der religiösen Toleranz und der Moralität, welche Rousseau und Voltaire zur allgemeinen Denkweise der höheren Klassen in Frankreich und ausser Frankreich erhoben hatten, auch in Deutschland einzuführen. Während Voltaire in Berlin am Hofe Friedrich des II. selbst sich eine Zeit lang aufgehalten hatte, viele andere regierende deutsche Fürsten (vielleicht die Mehrzahl) es sich zur Ehre rechneten, mit Voltaire oder seinen

Freunden in Bekanntschaft, Verbindung und Correspondenz zu sein, ging von Berlin der Vertrieb derselben Grundsätze aus in die Sphären der Mittelklassen mit Einschluss des geistlichen Standes, unter dem, während in Frankreich der Kampf vornehmlich gegen denselben gerichtet war, vielmehr in Deutschland die Aufklärung ihre thätigsten und wirksamsten Mitglieder zählte. Dann aber fand ferner zwischen beiden Ländern der Unterschied statt, dass in Frankreich diesem Emporkommen oder Empören des Denkens Alles sich anschloss, was Genie, Geist, Talent, Edelmuth besass und diese neue Weise der Wahrheit mit dem Glanze aller Talente und mit der Frische eines naiven, geistreichen, energischen, gesunden Menschenverstandes erschien. In Deutschland dagegen spaltete sich jener grosse Impuls in zwei verschiedene Charaktere.

Auf der einen Seite wurde das Geschäft der Aufklärung mit trockenem Verstande, mit Principien kahler Nützlichkeit, mit Seichtigkeit des Geistes und Wissens, kleinlichen oder gemeinen Leidenschaften, und wo es am respectabelsten war, mit einiger, doch nüchterner Wärme des Gefühls betrieben und trat gegen Alles, was sich von Genie, Talent, Gediegenheit des Geistes und Gemüthes aufthat, in feindselige, tracassirende, höhnende Opposition. Berlin war der Mittelpunkt jenes Aufklärens, wo Nicolai, Mendelssohn, Teller, Spalding, Zöllner u. s. f. in ihren Schriften und die Gesammtperson, die allgemeine Deutsche Bibliothek in gleichförmigem Sinne, wenn auch mit verschiedenem Gefühle thätig waren; Eberhard, Steinbart, Jerusalem u. s. f. sind als Nachbarn in diesen Mittelpunkt einzurechnen. Ausserhalb desselben befand sich in Peripherie um ihn her, was in Genie, Geist und Vernunfttiefe erblühte, und von jener Mitte aus auf's Gehässigste angegriffen und herabgesetzt wurde. Gegen Nordost sehen wir in Königsberg Kant, Hippel, Hamann, gegen Süden in Weimar und Jena Herder, Wieland, Goethe, später Schiller, Fichte, Schelling u. A.; weiter hinüber gegen Westen Jacobi mit seinen Freunden; Lessing längst gleichgültig gegen das Berliner Treiben, lebte in Tiefen der Gelehrsamkeit, wie in ganz

andern Tiefen des Geistes, als seine Freunde, die vertraut mit ihm zu sein meinten, ahneten. Hippel war etwa unter den genannten grossen Männern der Literatur Deutschlands der einzige, der den Schmähungen jenes Mittelpunkts nicht ausgesetzt war.

Obgleich beide Seiten im Interesse der Freiheit des Geistes übereinkamen, so verfolgte jenes Aufklären, als trockener Verstand des Endlichen mit Hast das Gefühl oder Bewusstsein des Unendlichen, was sich auf dieser Seite befand, dessen Tiefe in der Poesie, wie in der denkenden Vernunft. Von jener Wirksamkeit ist das Werk geblieben, von dieser aber auch die Werke.

Wenn nun diejenigen, welche dem Geschäfte der Aufklärung verfallen waren, weil formelle Abstractionen und etwa allgemeine Gefühle von Religion, Menschlichkeit und Rechtlichkeit ihre geistige Höhe ausmachten, nur unbedeutende Eigenthümlichkeiten gegen einander haben konnten, so war jene Peripherie ein Kranz origineller Individualitäten. —

Philosophia Hamanni.

Totam igitur quae tunc divulgata erat de religione Christiana libere sentiendi rationem, quam nomine „Aufklärung" comprehendebant, quaeque ne in dies longius latiusque vagaretur, verendum erat, sibi scriptis impugnandam iam diu sumpsisse Hamannum eique proposito exsequendo tunc quoque temporis operam dedisse intelligimus. Cui videlicet negotio sustinendo destinatum atque aptum se esse non tantum ratiocinando persuasissimum ei erat, verum etiam vigebat in eo sensus quidam ac paene dixerim inspiratio quaedam divina, qua ad res sanctissimas impelleretur omnibus viribus defendendas, quaeque tanta esset ut nullo rerum, nulloque hominum ipsius societatem ambientium respectu ab eo, quod ipsi unice sequendum esse visum fuerat, detineri se pateretur; cuius constantiae exempla quaedam supra attulimus. Quae quum ita sint assentire non possumus Gervino, qui frigidam illam, quae Hamanno cum Mendelssohno atque omnino Berolinensi-

bus viris doctis intercedebat rationem abiectis quibusdam ac vilibus causis nixam esse statuit, opinatus scilicet scriptorem Regiomontanum aegre ferentem, quod scripta sua tam exigua ab illis laude atque favore excepta fuissent, societatem cum iis ineundam respuisse. Quod iniquum de Hamanno iudicium*), quibus rebus adductus pronuntiaverit vir sagacissimus et historiae literariae scriptor celeberrimus, equidem non video, praesertim quum se ad Hamanni peculiarem sentiendi cogitandique indolem ac naturam demonstrandam nonnisi ipsissima eius dicta**) esse adhibiturum disertis verbis declaraverit, eiusmodi autem dicta, ex quibus id, quod visum est Gervino, efficias, nusquam reperias. Conferas velim praeter ea, quae iam laudavimus, illa quoque, quae VII, 123. dicit Hamannus: Habe ich mir grauen lassen vor der grossen Menge, oder hat mich die Verachtung der Freundschaft abgeschreckt? Quibus locis inspectis quomodo vir doctissimus salva fide eo, quem dixi, modo iudicare potuerit mihi non liquere fateor.

Iam in originem mali istius, ad quod impugnandum, et si fieri posset, radicitus exstirpandum sese contulerat Hamannus, inquirens a Wolfii philosophia et quidem metaphysica eam repetendam esse recte perspexit, quam quum ea tanquam fundamento pervulgatam illam de religione disputandi consuetudinem niti videret, labefactandam et omnino pessumdandam sibi esse censuit, in quam sententiam iam vitae fini proximus Jacobio haec scripsit: (W. IV, 3, 409.) „Ich halte es noch „immer für eine fruchtlose Arbeit, an subordinirten Grund„sätzen zu flicken und ihren Widerspruch aufzudecken. Man „muss sich schlechterdings entschliessen, tiefer zu graben und „höher zu steigen. Wer dazu nicht Herz oder Geduld hat „und sein gleichzeitiges Jahrhundert verläugnen kann, dem ist „es immer besser: manum de tabula.“

Atque profecto Wolfius iam initio seculi XVIII theologicas disciplinas suo more tractare easque principiis philosophiae ita adaptare coeperat, ut theologi, quantum fieri posset, reclamarent atrociterque reluctarentur. Nihilominus tamen mutatio-

*) Gervinus p. 442.

**) Gervinus p. 439.

nem illam a Wolfio inchoatam irritam reddere volebant, quum huius philosophi discipuli et asseclae in via a magistro monstrata pergentes opus perficerent. (v. Eberstein, Versuch einer Geschichte der Logik und Metaphysik I, 154, 157 ff.) Quum vero eo, quo Hamannus exstiterat tempore philosophi, quos aiunt Leibnitzio-Wolfianos, longius progredientes theologicas disciplinas tanquam ad se pertinentes sibi vindicarent in iisque tractandis nimium iusto sibi permitterent, ita ut res divinae in ludibrium fere abirent, primus ille indignabundus sese istis omni, quae in ipso erat, vi opposuit. Wolfii, inquit, philosophiam ut in theologicis materiis diiudicandis, ita in tractanda ethica Christiana adhiberi periculosum sibi videri; minimum, per se tamen maximi faciendum detrimentum, quod ex hac inepta utriusque disciplinae coniunctione oriatur, in eo cerni ut liberum cuique arbitrium concessum mox in licentiam abeat, veritasque, quam evangelistae divinitus inspirati cum humano genere communicaverint, in formulas inanes ac steriles notionum dissectiones depravetur. Cui sentiendi rationi addictum Hamannum philosophandi methodo, quae, quo magis arbitraria est, eo acutior inque se cohaerentior esse videatur, enixissime adversatum esse mirum videri non debet, indeque facile intelligitur, quomodo verbis uti potuerit hisce:

„Die Religion ist durch die Wechselbank der Vernunft „mehr entweiht als erbaut worden und der Wucher, den „man durch Umsetzung der Wörter getrieben, aus denen „Jedermann . . . nicht mehr Verstand ziehen kann, als er „sich im Stande findet, einzulegen, bereichert zwar die „Taubenkrämer, aber auf Kosten des Geistes, welches der „Herr ist.“ (Vid. H. S. III, 250 ff.)

Notum autem est, Wolfii philosophiam non solum disciplinas theologiae occupasse, verum etiam reliquas fere omnes literarum disciplinas ab ipsius principiis ac methodo stare voluisse.

Virorum, qui tunc temporis Leibnitzio-Wolfianam disciplinam amplectebantur, celeberrimus fuit Mendelssohnus, qui de rebus philosophicis disputans tam dilucido, tamque facili dicendi genere utebatur, ut ab omnibus probaretur. Jam vero Kantium dictionis venustate, quae in Mendelssohni scriptis

cernebatur, captum eius librum, qui „Jerusalem“ inscribitur, admiratum esse, eumque talem, qui redargui non potest, dixisse accepimus; (Jacobi IV, 3, 142.) ita ut qui eum impugnare ac refutare vellet, nimium audere videretur. Quamobrem Hamannus, ut tanti viri errores feliciter detegeret ac refutaret, principia eius impugnando non tantum necesse erat, ostenderet, se penitius illo in philosophiae naturam inquisivisse, verum etiam quantopere illi cognitione philosophiae praestaret, declarare debebat et fortiter secureque in arenam descendendo, et peculiari nativoque scribendi genere et denique ne relinqueretur ignotus neve vilipenderetur sublimi et ut ita dicam, *prophetica oratione*, (H. S. VII, 126.) qua operis sui immortalitatem quasi praeconaretur. Ignorabat enim neque quot liber a se editus adversarios nacturus esset, neque quae esset sors librorum, quippe quorum vel optimorum tum apud aequales auctoritas, tum apud posteros memoria haud raro fortunae solummodo et casui esset tribuenda, quantum igitur optimus quisque scriptor librorum suorum memoriae providere deberet. Neque tamen huius, quae librorum esse solet, sortis, quamvis magniloquentia quadam usus unquam oblitus est, id, quod aliis praetermissis colligas ex iis, quae Operum tom. III, 54. scripsit: „Von „der Dauer und Wirkung meiner Schriften schwebt mir bei „allen Ahnungen der Unsterblichkeit doch ein Memento „mori vor.“ —

Iam hoc, quem diximus apparatu instructus Mendelssohnum ingeniosissimum elegantissimumque philosophicae, quae tunc praeplacebat, disciplinae propugnatorem (vide Mendelss. Morgenstunden, Vorrede, ubi haec de se ipso profert M.: „Meine Philosophie hat noch allzusehr den Geruch jener „Schule, in der ich mich gebildet habe und die in der ersten „Hälfte des Jahrhunderts vielleicht allzu eigenmächtig herr„schen wollte.“) aggressus est Hamannus. Cuius adversarii naturam bene se perspexisse declaravit iis, quae de eo in universum dixit haecce:

Mit dem Blendwerk daedalischer Sophisterei stahl Mendelssohn das Herz und die Bewunderung der meisten Leser (VII, 12.).

ipsum sese contra, si scripta sua bene essent cessura, literarum heroas quoscunque philosophico pallio indutos, esse irrisurum (VII, 197.). Sed ne tantillum quidem veritati detrahamus, addendum nobis est ad Hamanni scriptoris indolem peculiarem pertinuisse deformem adversarios acerbius irridendi iustoque gravius ac violentius reprehendendi libidinem, exortam illam nimia virtutem suarum sive verarum sive fictarum conscientia. At conanti mihi libri ab Hamanno adversus Mendelssohnum scripti externam compositionis formam peculiarem ac internam argumenti indolem singularem ex eius origine demonstrare, obiecerit quispiam, utrumque illud non cerni in hoc tantum Hamanni libro, sed in omnibns, quaecunque et antea et postea scripserit, operibus esse expressum; neque unquam consuevisse Hamannum consilio tam perpenso et ex omni parte aestimato ad scribendum librum animum appellere, imo peculiarem, quem in eius operibus deprehendamus, habitum ac formam nihil esse nisi imaginem ad peculiarem ipsius sentiendi cogitandique modum expressam. Speciosius profecto, quam verius! Etenim ut ad id, quod primo loco obiici posse significavi, respondeam, similitudo illa, quae inter priorum et posteriorum Hamanni operum stilum ac habitum intercedit, facile explicatur ex fine ac consilio omnibus operibus communi, unde certa quaedam et peculiaris stili forma diversissimi argumenti et temporis operibus imprimeretur necesse erat. Quanto deinde iure viro ingenioso, quippe qui ex ingenii sui penu admirabilissimas copias inscius nullo adhibito labore depromat, (ac talem virum Hamannum fuisse nemo unus negaverit) — quanto, inquam, iure tam ingenioso viro consilium futuros operis eventus praemeditans tribuant illi ipsi viderint; equidem ad partes eorum confugio, qui libros tam operose ad certum quoddam consilium elaborare, non eiusmodi scriptoris, consilium vero et nexum nihilominus ab eo *inscio* adhibitum atque in eius opere conspicuum investigare ac declarare interpretis solummodo esse persuasum habent. — Atque quod argumentum Hamanniorum operum, ut ita dicam, obiectivum attinet, plenissima ea esse frugum diversissimi generis saluberrimarum, eaque permagnam ad convellendas et exstirpandas, quae tunc

temporis vigebant opiniones de philosophia vanas vim habuisse negari ab aequis iudicibus non poterit. Quodsi autem dixi vim habuisse permagnam haec non ita volo accipi, ut Hamannus credatur ipse nullo extrinsecus accedente auxilio errores convellisse atque exstirpasse, sed aliorum ad eundem illo tempore finem tendentium auctoritati suam addidisse atque ita auxiliarius quidam fuisse. Id si tenemus universam quae fuerit operum Hamanniorum naturam atque indolem perspicimus. Jam in dedicatione operis primi „Sokratische Denkwürdigkeiten" (II, 5.) inscripti, qualis sibi cum lectoribus intercessura sit ratio atque consuetudo non sine laconica quadam brevitate exponit, adhortaturum scilicet sese errantes, eosque in viam rectam reducturum esse. Quod reprehensoris et correctoris munus, cui soli omnem operam se navaturum audacter pronuntiat, utpote duorum tantum causa, a quibus solis intelligi se velle ait, ibid. p. 11.) (inscripsit enim librum: „Zuschrift an Zween") eorum statim exspectationem, qui scriptorem tanta magniloquentia ac sublimitate orationis, tanta imaginum novitate, tamque faceto ac ingenioso lepore usum prae omnibus excelsurum admirandumque opus exhibiturum esse speraverant, si non irritam redderet, at certe minueret necesse erat. Atque in eiusdem solitudinis amore inque proposito intima sensa intelligentiorum tantum paucitati divinanda magis, quam intelligenda in medium proferendi (id quod mire ita expressit: „unter grünem herben Pelz und harter Schale den eigentlichen Kern zu verstecken." VII, 90. 102.) usque perseverare eum videmus: „Ich habe," inquit, feierlich dem grossen Haufen und der Menge resignirt." (III, 126.) et (I, 285.) „Für wenig Menschen gemacht; wenn ich „es doch für die Wenigsten wäre! etc." (I, 479.) „Ich habe „mich auf das Exempel des Aristoteles bezogen, der eine „Schrift ausgab, von der er gestand, dass sie so gut als nicht „ausgegeben wäre, bin also nicht der erste, der das Publikum „äfft."

Paucis illis intelligentibus, qui non sine maxima sensuum contentione in adytum penetraverant, quique, quo maioribus difficultatibus pugnandum ipsis fuerat, eo cariorem se thesaurum nactos esse autumabant, immensae doctrinae et acuminis

admirandi gloriam acceptam retulit; pauci illi pro omnibus ei erant; eorum applausus summus, quem ex scriptis suis percipere posset, fructus ei videbatur. Magna sane et expetenda gloria, a paucis iisque optimis laudari ac legi! Haud minor gloria, tantum virum amare ac legere! Atque mutua haec, quam cum paucis tantum inierat intelligentibus, societas non sine magno aequalibus fructu mansit; quam in sententiam Hegelius (Opp. t. XVII. p. 94.) abiens, „für Viele ist," inquit, „Hamann nicht nur etwas Interessantes und Eingreifendes, „sondern ein Halt und Stützpunkt in einer Zeit gewesen, „in der sie eines solchen gegen die Verzweiflung an ihr nö„thig hatten. — "

Sed quomodo Hamannus ad negotium perversos suae aetatis philosophos impugnandi ac refutandi a se susceptum sese cinxerit, qua in indagando vero ratione ac methodo usus sit, quid denique inde effecerit, copiosius exponamus.

Jam supra vidimus Hamanno Wolfii eiusque discipulorum conamen principia philosophiae suae ad theologiam transferendi offensioni fuisse. Quod conamen, quamvis primam ipsi scribendi ansam dedisse optimo jure dici possit, tamen multo eum magis offendebant ii, qui principia Wolfianae philosophiae ad politicen et ecclesiam quoque transferre ac utriusque recte administrandae regulas ex illa sola petendas esse demonstrare, seque ipsos pro legislatoribus et servatoribus haberi vellent. Istius modi homines, quos (VII, 98.) „die am faulen Holze ihres Systems gebundenen Metaphysiker" nuncupat, dignitate, quam sibi arrogaverant, spoliandos suscepit, in quo tamen negotio perficiendo non clamore quodam bellico longe lateque audiendo, sed leniter ac tranquille incedente traducendi et irridendi oratione usum se esse affirmat, quippe qua ratione sine tubarum et classicorum sonitu occubituri essent. (VII, 100.)

Sed priusquam quod modo significavimus negotio nostro satisfaciamus, argumentum libri Mendelssohniani „Jerusalem oder religiöse Macht und Judenthum" inscripti copiosius indicabimus, idque propterea quod hic liber Wolfii principiis iuris naturae nititur, ad quae evertenda et funditus delenda Hamannus opus edidit, cui nomen est: „Golgatha et Scheblimini." (VII, 19. sqq.)

Ac primum quidem incipit Mendelssohni liber ab introductione historica, in qua de ratione mutua hucusque inter civitatem et ecclesiam intercedente agens nondum definitum ait esse a philosophis, quomodo civitas ab ecclesia disiungenda et quantum potestatis alterutri tribuendum sit. Civitatis sive ecclesiae libidinem dominandi philosophicas disquisitiones admirabili quadam constantia repuisse. E libidinis illius dominandi necessaria ruina prodiisse in utraque civitate anarchiam, cuius impugnandae et removendae causa Thomam Hobbesium primum doctrinam suam, secundum quam omnia ad ecclesiam et ad civitatem pertinentia per vim et potestatem absolutam redigenda essent, composuisse, quae quum aliis de causis tum praecipue ideo digna sit commemoratione, quod ab acutissimo auctore profecta et pertractata permultos adversarios nacta sit, qui quae ex Hobesii principiis absolutae servitutis sequerentur, acerrime impugnarent. Lockii contra disciplinam, quum humanas res a divinis accurate secreverit, relinquendam esse, quippe quae, quum non appareat, quo alterutrae referendae sint, nullam in communem vitae usum vim habeat. Permultum autem interesse eius, qui mutui civitatis et ecclesiae commercii rationem accurate definire velit, de primaria utriusque notione et significatione certi quid apud se statuisse. Quum hominibus ad communem vitae finem assequendum societatem inter se ineundi duplex sit necessitas scilicet ut et re factoque et cogitatione intelligentiaque officio ipsis iniuncto satisfaciant, quorum alterum ad homines alterum ad deum pertineat; oriri inde institutiones et civiles et ecclesiasticas, quae utraeque coniunctae ad beandos per concordiam homines spectent. Civitatem vero, si eiusmodi beatitudinem efficere nequeat contentam esse re factoque et id curare, ut cives item re factoque officio satisfaciant; contra ecclesiam i. e. religionem eiusmodi rei factique a cogitatione intelligentiaque secretionem respuere eoque ipso civitatem et ecclesiam inter se differre. Civitati ius esse cives ex conventu (i. e. legibus) civili ad officium ipsi praestandum adigendi, uti igitur eam iuribus perfectis; ecclesiam contra non habere ius suos pari modo adigendi, esse igitur eius iura imperfecta. Sed unde haec adigendi iura, unde hunc civilem conventum esse? Quae

ut ab origine sua deducantur, redeundum esse ad principia iuris naturalis, eaque esse explicanda:

Ius esse facultatem moralem, qua ex sapientiae et benevolentiae legibus ad beatitudinem nostram comparandam utamur. Officium esse necessitatem moralem secundum leges sapientiae et benevolentiae agendi; iura autem et officia necessario vinculo secum coniuncta esse. Iurium et officiorum duplex genus esse et perfectorum et imperfectorum; iura perfecta esse iura adigendi (Zwangsrechte; äussere) item officia perfecta esse officia adigendi; (Zwangspflichten; äussere) iura imperfecta esse postulata; officia imperfecta esse officia religionis. (Gewissenspflichten; innere) Hominem eorum bonorum, quae a natura possideat, quibusque ea opponantur, quae pacto possideat, eam partem, qua facile careat in usum ac fructum aliorum conferre debere; reliqua parte ipsi pro lubitu esse utendum. Sed quantum? quomodo? cui? quis benefacere debeat, id diiudicare in uniuscuiusque libero arbitrio positum esse. A natura iura et officia esse imperfecta; cuique in statu naturae viventi ius concessum esse ea, quae in suam et ea, quae in aliorum usum ac fructum conferre debeat diiudicandi, si quidem talis iudicii compos sit. Hoc iure contineri libertatem hominis naturalem idque esse proprium eius bonum, quo rei factique et cogitationis, intelligentiaeque, quo ipsi ad beatitudinem suam efficiendam tamquam auxilio uti liceat. Quam vero licentiam, ubi semel adhibuerit, id quod vel dixerit, vel iudicaverit, vim habere adstringentem, quaeque iuris conditionem mutet, tum quod bona corporis, (mobilia) tum quod bona animi (immobilia). Ipsam voluntatis significationem sufficere, ut alter de suo decedat, alter id accipiat. Iuris autem, quo quis inter res sibi occurrentes discernere possit, possessio, quum non sit necessaria cuiquam, bonum eam esse supervacaneum, quod in alterum conferri possit. Actionem conferendi promissi nomine appellari, accipiendo fieri pactionem. Hac ratione ius alterius, quod antea imperfectum fuerit, perfectum fieri (ius adigendi) quum ius decernendi cessione alterius bonum factum sit, idque, quemadmodum supra expositum sit, vim habere adstringentem, ita ut alter vi eo possit potiri. Hominem ex naturae statu actione illa, na-

turae necessitate impellente, societatem humanam iniisse, in qua unusquisque partem iurium acquisitorum in societatis commodum adhibere debeat. Pactione quadam sociali, quantum tribuendum sit cuique discernendi ius civitati veluti personae morali tradi posse, quo facto civitati iura et quidem iura adigendi in hominum bona et facta. Haec autem iura ecclesiam ignorare. Deum non esse eum, qui nostra egeat benevolentia nostrumve requirat auxilium, qui nostri iuris quidquam in usum suum expostulet cuiusve iura cum nostris unquam pugnare iisque perturbari queant. Ecclesiae itaque non esse ius in bonum et possessionem, neque eam auxilium et decessionem expostulare posse; iura eius numquam cum nostris conflictare neque inter ipsam civitatem lites esse non posse. Quamobrem fieri non posse, ut pactione inter se concilientur. Ecclesiae itaque non esse adigendi ius, neque membris illius imponi posse officium perfectum. His niti discrimen ecclesiam inter et civitatem, quod vim attineat in hominum actiones. De cogitationibus autem morum principiis ipsi civitati nunquam ullo pacto accessisse ius adigendi; idem ei cum ecclesia ius esse erudiendi et docendi etc.

Quod quis faciat atque agat, ei satisfacere, quod quis cogitet, sentiatve nihil ad eam pertinere. Ecclesiam contra non adigere homines ad agendum, sed monere tantum ratiocinando, persuadendo ut facta cum animi sententia consentire ac peracta esse videantur. Ecclesiae non esse ius in terrena bona; neque externam vim in animum ab ea exerceri posse; quare fieri nullo modo posse, ut societas aliqua ecclesiastica peculiari quadam imperandi regula ac morum disciplina utatur et ius sive excludendi sive expellendi habeat, quippe quod civium saluti repugnet. In rebus vero quae ecclesiae sint civitati vice versa nullam aliam vim tribuendam esse nisi ut secundum rationem et principia rationis cives instituat.

Haec sunt, quae afferenda putavimus ex opere Mendelssohni commemorato, quod Hamannus impugnaturus et refutaturus argumentis et rationibus statim locum significat unde fieri debeat impetus et in quod refutatio sit intendenda. Allaturum scilicet sese ait ex Mendelssohniano opere plurima, quae falsis principiis nitantur (VII, 103.) „Es ist ein eben so aus-

„serordentlicher, als wesentlicher Mangel des ganzen Buchs, „dass es demselben an einer schulgerechten Erklärung des „Hauptbegriffs fehlt."

Etenim quum Medelssohnus principia iuris naturae ad discrimen inter ecclesiam et civitatem constituendum transtulerit, permultum interesse utrum illa priusquam adhibeantur probanda an addubitanda sint. Civitatem et ecclesiam personae instar habendas esse, quoniam una eademque morum lege nitantur.

Si iustitia potentia et ius a se separentur, definitionem atque auctoritatem uniuscuiusque horum vocabulorum suspectam videri. Originem legum tum sapientiae tum benignitatis inexplorabilem esse. Quae si recipiantur ut revera sint recipiendae, ius naturae omnino supervacaneum esse.

Quod vero Mendelssohnus eos, qui iura ab iis qui officia habeant, ita differre statuerit ut hi facultate morali, illi necessitate morali utantur, id Hamannus censet non concedendum esse, quum cuilibet in statu naturae viventi ius sit, quaecunque ad beatitudinem ipsius conducere videantur ea pro lubitu adhibendi. Praeterea mancam esse illam definitionem, quum potentiae (Vermögen) non modo necessitas verum etiam impotentia (Unvermögen) possit respondere.

At, interrogat Hamannus, nonne morali necessitate continetur ius adigendi? Officia habere, quum Mendelssohnus eos censeat, qui ad beatitudinem suam ipsorum comparandam tale quid, quod sapientiae et benignitatis legibus adversetur, in auxilium vocent, ius autem habere eos, qui in eundem finem re quadam cum illis legibus congruente utantur; quumque secundum eam doctrinam officio necessitate suscipiendo iustitiae legem opitulari statuendum esset: miserabile eiusmodi definitionibus naturae ius confici docet Hamannus quippe quo contradictiones illas, quas ex Mendelssohni doctrina in legibus sapientiae et benevolentiae inesse consentaneum sit, quae tamen re vera nullo modo in iis insint, novo quodam et illicito modo coniungantur atque removeantur. Sed audiamus Hamannum ipsum contra disputantem. „Wie sollte," inquit, (VII, 27.) „die Gerechtigkeit, welche einem Jeden das Seine giebt, auf-„hören zu sein, was sie ist, ihr eigen Wesen verläugnen kön-

„nen, der Weisheit und Güte das Ihrige rauben und ihre ei-
„gene unwandelbare Einheit für zwei ausgeben, die so
„verschieden unter sich sind, als sie selbst von beiden ist?" — Quamobrem, quum summa libri Mendelssohniani in iurium actionumque externa specie perfectarum falsis principiis cernatur, recte Hamannus „Durch den Schlangenbetrug der „Sprache," ait, „cirkulirt unter den so verschiedenen als man-„nigfaltigen Wortgestalten im ganzen Jerusalem die ewige pe-„titio eines und desselben hypokritischen principii von äusser-„licher Vollkommenheit der Rechte und Handlungen, von in-„nerlicher Unvollkommenheit der Pflichten und Gesinnungen." (VII, 29.)

Jam omnem rerum cardinem verti censet Hamannus duabus hisce quaestionibus: primum, num doctrinae et iuris, quoad personas et res, inter se rationalis consensus et coniunctio esse possit? deinde, num iura perfecta pactionibus, nullis officiis imperfectis pactionem praecedentibus effici possint, numque officia adigendi officiis religionis (conscientiae) nitantur? Quod ad primam quaestionem attineat, mutua utriusque relatio arctissimaque coniunctio statui quin debeat dubitari non posse; de altera quaestione id tenendum esse ius perfectum naturali, neque vero morali necessitate, quippe quae sint officia imperfecta acquiri inque locum officiorum adigendi, quippe quae sint officia perfecta succedere naturalem vi quadam impellentem necessitatem. In quam sententiam haec dicit Hamannus:

„Mit einer solchen Vollkommenheit bekommt das ganze speculative Recht der Natur einen Riss, und lauft in das höchste Unrecht über;" (VII, 31.) sequi igitur inde, iuris naturae principia pessumdata et unius arbitrio et potestati obnoxia esse. Quod malum ut effugiamus pactioni sociali subesse debere naturalem, quae si subsit, consentaneum esse, unumquemque hominem legibus naturae convenienter esse acturum.

Nimirum eius utpote qui officia, numquam vero iura habeat, facultatem moralem legibus sapientiae et benevolentiae esse subditam et si homo beatitudinis ipsi non concessae comparandae causa ad auxilium illicitum confugiat, statui eum et iuri naturae sese opponere.

Quae quum ita sint, operae pretium non esse ait, in singula Mendelssohni errata accuratius inquirere, eaque percensere. Etenim pactiones quascunque sociales nullo alio niti fundamento nisi facultate morali, quatenus naturalis rationis humanae usus per instrumentum ipsius peculiare i. e. linguam ad agnoscendum aliquid sufficiat et necessitate morali, quatenus ea, quae in nobismet ipsis agnoverimus, re factoque comprobare velimus. Internae voluntatis declarationem extrinsecus conspicuam fieri potissimum verbis, quae veluti naturalia sensuum nostrorum signa idem sint cum factis. Qui vero cogitationem a facto secernat, eum pro arbitratu suo, qui naturae nullomodo consentaneus sit, societatis quaecunque vincula dissolvere intelligi. In quo neque methodi, qua ius istud falso naturae nomine appellatum explanetur, neque officiorum adigendi falso explicatorum, neque officiorum, quae nobismet ipsis et quae aliis praestanda sint, inter se pugnantium, neque denique discordiae, quae obtineat inter iura divina et iura humana, rationem amplius ullam esse habendam. Recte quidem haec Hamannus; etenim, ut ipsis eius verbis utar: „Das ganze Penelopengewebe läuft auf die Behendigkeit hinaus, jedes von dem andern unzertrennliche Eins zweifach erscheinen und wiederum flugs in einander fallen zu lassen.“ (VII, 38.)

Jam vero eum, qui civitatem opponat ecclesiae, mirum in modum notiones confundere ac prorsus inepte, inconvenienterque internam beatitudinem ab externa pace et humana a divinis secernere quis non videat? Quam in sententiam accipienda sunt illa Hamanni: „Handlungen ohne Gesinnungen und Gesinnungen ohne Handlungen sind eine Halbirung ganzer und lebendiger Pflichten in zwei todte Hälften. Wenn Bewegungsgründe keine Wahrheitsgründe mehr sein dürfen und Wahrheitsgründe zu Bewegungsgründen weiter nichts taugen, wenn das Wesen vom nothwendigen Verstande und die Wirklichkeit vom zufälligen Willen abhängt, so hört alle göttliche und menschliche Einheit auf in Gesinnungen und Handlungen. Der Staat wird ein Körper ohne Geist und Leben, ein Aas für Adler, die Kirche ein Gespenst ohne Fleisch und Bein.“

Erravisse igitur censet Hamannus Mendelssohnum, qui civitatem quid sentiant cives non admodum curare statuerit.

Non minus falsam esse eius opinionem, qua Dei nihil intersit, quid homines faciant agantve. Qui eiusmodi philosophicis subtilitatibus ac distinctionibus utatur, eum magna cum indignatione inanem verborum aucupem et ridiculum notionum nuncupat Hamannus confusorem, cuius peccata in communem vitae usum, ubi de principiis illis sermo sit futurus magnam eamque pernoxiam vim habitura sint. Jam Hamannus de eiusmodi doctrina in communem vitae usum adhibenda eiusque explicationem et refutationem sterilem et supervacaneam fore pronuntians, nativo et peculiari quo utitur dicendi genere exponit, quid inde eveniat, si eiusmodi notiones inanes ad religiones transferantur. Exponens deinde, quae inter religiones christianam et iudaicam intercedat differentia ad auctoritatem factorum et ad historiae testimonium provocat; in quo praecipue iudicium quod amicus quidam Hamanni (Lindnerus) de eo pronuntiavit, quodque in hanc ipsam, de qua agimus, Hamanniani libri partem quadrat, memorabilissimum est et acutissimum verissimumque. „Gründe," ait, (Oper. t. III, VIII. sq.) waren seine Sache nicht, wohl aber überraschende, durch ihre sinnreiche Erfindungsglorie, die immer von dem Schimmer einer Wahrheitsähnlichkeit begleitet war, imponirende Orakelsprüche." Cum quo iudicio conferas id, quod Hamannus ipse (Opp. t. I. p. 479.) Kantio scribit: „Wahrheiten, „Grundsätzen, Systemen bin ich nicht gewachsen. Brocken, „Fragmente, Grillen, Einfälle."

Secundum illam, quam ab Hamanno exhibitam esse religionum differentiae expositionem, philosophorum placita utpote quae fide non digna tamque varia et mutabilia, quam lunae formae sint, a se aliena putat ac respuit. Quare doctrinae christianae ex religione mosaica duce historia gradatim deducendae adversantur ii, qui placita illa ad civitatem et ecclesiam atque ad institutionem Judaeorum legibus adstrictam transferenda opinentur; nam ex ruina demum Iudaismi promissa illa atque exspectata Christianismi doctrina construi ac quasi aedificari poterat. Cuius doctrinae quod sit argumentum atque ingenium paucis quidem, sed gravissimis atque significantissimis verbis Hamannus exponit, qui idem quam adversum hominum cum Deo commercium evasurum sit, si quis pu-

blicas institutiones rationem inter homines et Deum spectantes condere velit, in examen vocat, humana et divina in legislatione coniungenda esse negans.

Refutationi finem imponit summae eorum, quae dixerat recapitulatio, non illa quidem systematica sed in subitariis transgressionibus, exclamationibus, miris ingentibusque dicendi figuris ac comparationibus conspicua, admixtis passim sacrae scripturae locis, qui omnino per totam disputationem singulari quadam, haud raro personali significatione dispersi sunt, intellectumque maxime impediunt. — De adversarii clade persuasissimus hoc modo loquitur: „Andächtiger Leser, lass mich „alten Marium auf den Trümmern des philosophisch-politischen „Jerusalems ein wenig ausruhen! —"

Iam denique ab eo refutari videmus Medelssohnum, quippe qui libro suo religiosas disciplinas inter se componere easque invicem sibi similes reddere conatus sit; in quo illud maxime reprehendit noster, quod adversarius adulterinam philosophiam admiscuerit, eamque etiam ibi adhibuerit, ubi fides veritati habita omnes philosophandi disciplinas diu antecesserit. Cui sententiae addictus philosophiam Mendelssohniani libri nuncupat umbram, eamque esse obiurgat: „ein Taschenspiel mit dem Rosenkranz subiektiver Ideenreihen," idque propterea, quod libro desit exacta ad certam inque se absolutam philosophandi doctrinam expositio notionis primariae.

Quae in praecedentibus dicta sunt, spectabant potissimum id, ut argumentum libri Hamanniani „Golgatha et Scheblimini" inscripti in universum significaretur. Auctorem nostrum contra inveteratam philosophorum, qui tunc temporis dominarentur, in disputando et disceptando superbiam non tantum feliciter incepisse pugnare sed etiam ad finem usque in ea felici pugna perstitisse, tum ex iis, quae disertis verbis demonstravimus, elucere, tum ex argumento illius a nobis in universum communicato colligi posse putamus. Pugnam autem illam, ut paucis rem praecidam, sic Hamannus instituit, ut res verissimas, quarum corporea natura a nemine ullo negari posset, a philosophastris istis (tales enim ipsi visi sunt) pro notionibus nudis, quarum in rerum natura nullus esset locus, quasque pro signis rerum solummodo cogitabilibus quis habere posset, proque phaenome-

nis ac visionibus meris venditatas esse, philosophumque Berolinensem Wolfianae disciplinae penultimo addictum transsubstantionem signorum et formularum abstractarum doctrinarumque in aethere tantum habitantium pro arbitrio illicito statuisse ostenderet. (VII, 103.)

Iam qua in re Hamannus rationalem Mendelsohni doctrinam praeverterit, singulatim videamus.

Theoriam iuris naturae a Mendelssohno conditam vel potius adhibitam, quam pro aurea tanquam magistri coxa, cuius sinceritas quam maxime in examen vocanda esset, haberet; disiunctiones rerum, quae in ipsarum coniunctione atque unitate tantum consistere queant, ab ea fingi merito dixit. Quamnam in eiusmodi ait codice iuris naturae, quod in activam et passivam separetur contineri veritatem? Qua de causa non sine optimo iure *miserabilis* nomine illud appellat. Quem enim sanum *unitatem immutabilem* pro duitate venditare ac categorias ita singulas dispergere posse, ut ab essentia rerum, (sit ita dicere fas!) quam exprimere debeant ad inania vocabula, quae definitionibus nominalibus explicentur, relabantur? *)

Iam in eos invehitur, qui pro arbitrio suo rationem in duas partes, quarum altera externam iurium actionumque perfectionem atque absolutionem, altera internam officiorum et sensorum imperfectionem, ut utar hoc vocabulo Augustiniano, — contineat, ὑποκριτικῶς secreverint et utramque partem pro principiis civitatis et ethices haberi voluerint. *Rationem et linguam* censet vinculum tum internum, tum externum societatis cuiuslibet esse, quod vinculum a natura colligatum qui disrumpat, fidem eum et probitatem de mundo tollere. (VII, 35.) Verba et res, quum *unum* aliquid sint, atque alterutrum alterutro contineatur, in rebus tum divinis, tum humanis, quod cogitandi et agendi rationem, unitatem, contrariam illam abstractionibus Wolfianae metaphysices rationalibus, quippe quae actiones et cogitationes in duas easque mortuas partes separet amplectendam esse identidem pronuntiat. Qua in unitate in-

---

*) Cf. locum, quem de inveteratis verborum definitionibus ex Opp. t. VII, 27. attulimus.

dissolubili, quam tamquam iuris et ethices summam Mendelsohnianis illis verborum definitionibus opposuit Hamannus in rerum duarum e regione sibi oppositarum coniunctione veritatem cerni intelligens, vera et altiora philosophiae principia inesse perspexit.

„Es gereicht zum Ruhme der Kunst und ihres Zeitalters „durch eine petitionem principii minimi ein Scheidewasser „allerhöchster Stärke hervorzubringen, und damit alles Me- „tall der tiefsinnigsten und erhabensten Materien und Wis- „senschaften, als Theologie, Politik, Moral, Gott, Staat und „Menschen sind, welche nicht geschieden werden können „und deren *Einheit* das Maximum aller Geheimnisse an- „schauend und natürlich macht, in ihre idealische Eitelkeit „— aufzulösen." (IV, 439.)

Quae vero Hamannus deinde adversus eam, quae tunc obtinebat, philosophiam protulit, quaeque ita comparata sunt, ut hodiernae quoque disciplinae placitis impugnandis inservire possint, ea ut cognoscantur lectorem ad Hegelii operum tom XVII. p. 83. sqq. ablegamus.

Ac licet, qua ad verum indagandum philosophandi ratione utendum sit Hamannus rectius Wolfianis perspexerit, tamen eum principiorum ab ipso inventorum explicationem omnino inscium suisque viribus diffidentem sive omisisse, sive, id quod verisimilius est de industria neglexisse, valde dolendum est. „Ich habe nicht Musse und Kräfte zu labyrinthischen Spaziergängen und peripatetischen Labyrinthen," ita scribit VII, 42. — Jam in sequentibus, de quibus infra dicetur, ubi rationem istam disciplinae philosophiae in idealismum et realismum *) dispersam reprehendens et in opinione, quam semel imbiberat, veram et genuinam scilicet philosophiam eiusmodi dispersionis fictae a reique natura prorsus alienae atque unitati adversantis ignaram esse, perseverans, methodum illam de rebus divinis libere sentiendi et disputandi a superficie delibatam, quae ex illo philosophandi modo exoriatur in universum perstringit et fucatae isti sapientiae h. e. speculationi falsae christianam doctrinam vel potius christianam fidem opponit. (VII, 107.) At-

*) V. Jacobii Operr. IV, 3, 342.

que ita Christianam et Lutheranam doctrinam eorum, quae per quartam seculi unius partem tecto nomine scripsit, argumentum fuisse intelligimus.

Christianam autem doctrinam ab Hamanno ad suamet ipsius cognitionem accomodatam esse neque vero in sterili, quae illius temporis erat, orthodoxia (V. Hegelii op. t. XVII, 43 et p. 50.) neque in fanatica piorum nomen prae se ferentium pietate constitisse, imo profanas ingenii excellentis particulas admixtas habuisse, documento esse possunt idoneo ea, quae in fine vitae suae amico scripsit, verba significatissima, quae hic praemittimus: „Irrthümer und Ketzereien, auf die man bona fide kommt, sind bisweilen lehrreicher, als der alte Sauerteig der Orthodoxie, den man mit dem Munde ohne Antheil des Gewissens bekennt. (Jacobii op. IV, 3, 343.) Ibidem p. 426: Es ist mir mehr daran gelegen, den Gang mancher blendenden Irrthümer als ihre Genesis und Apokalypsis zu kennen, weil ihr Ursprung und ihre Wurzel in einer Wahrheit liegt, die man nicht recht verstanden und angewandt hat. Worin liegt dieser Missbrauch? Das ist ein Problem von Wichtigkeit für mich. Die Ketzergeschichte ist der wichtigste Theil der pragmatischen Kirchenhistorie, wie das Böse eine Haupttriebfeder der besten Welt.“

Ex quibus locis, quam parum in mystica illa inque se ipsa contenta tranquillitate acquieverit, quantopere potius pro ea, quae in eo erat ingenii alacritate et conscientia ad veram theologicarum quoque rerum cognitionem adspiraverit, quis est, qui non videat? Quis denique inde non intelligat, quomodo Hamannus, quamvis religiosis adnumerandus fuerit, nihilo tamen minus philosophiam tanto amore amplecti potuerit? Atqui hoc ipsum, quod ex naturae legibus evaderet necesse erat, ei crimini a Gervino datum esse constat, quem virum doctissimum in eo peccasse putamus, quod illud, quod Hamannum singulatim dixerit investigandae et cognosendae doctrinae a Spinosa conditae iusto curiosiorem fuisse, angustioribus finibus circumscripsit, quum latiorem ei campum in universum concedere debuerit. Tantum enim absumus ut Hamannum propterea, quod a pueritia usque ad vitae finem philosophicarum disciplinarum perpetuo rationem habuerit, easque in examen voca-

verit, vituperemus, ut laudemus, quippe qua perscrutandi, et inquirendi methodo ad peculiarem suamet ipsius sentiendi agendique indolem excolendam necessario ei fuerit utendum. Jam quod a philosophiae consuetudine, quam veluti innatam sibi adamaverat, sese abalienari non passus est, magna ex parte tribuendum videtur commercio, quod supra, quum de eius vita ageremus, ipsi cum Kantio a puero inde usque ad vitae finem intercessisse narravimus. Pertinet huc quoque illud quod Jacobio scripsit: (IV, 3, 202, 203.) „Kant ist ein „Mann von eben so grossen Talenten, als guten und edlen „Gesinnungen, der sich von Vorurtheilen sehr begeistern lässt, „aber sich nicht schämt, selbige zu widerrufen, abzulegen „und zu verleugnen. Ich habe mit ihm schon manchen Strauss „und bisweilen offenbar unrecht gehabt; er ist darum immer „mein Freund geblieben.“ Cuius viri doctrinam, etsi non probavit Hamannus, tamen ea impellente familiaritatem cum philosophicis illius temporis disciplinis iniisse eum negari non poterit, id quod supra iam breviter attigimus. Huc accedit Humianorum operum, quorum unum etiam in linguam vernaculam transtulit, in idem tempus incidens studium, cuius et ipsius supra mentionem iniecimus. Quod studium, quantam in nostrum scriptorem vim habuerit, optime intelligitur ex libro, quem „Kreuzzüge des Philologen“ inscripsit, in quo non tantum Humii scepsin ad convellendas inveteratas opiniones adhibuit (suam de fide doctrinam in Humii opera de natura humana, tanquam in fundamento positam esse ipse narrat, Jacobii Oper. IV, 3, 340: „Ich habe es studirt, ehe ich die Sokr. „Denkw. schrieb und verdanke meine Lehre vom Glauben eben derselben Quelle.“) verum etiam penes philosophiam unam de lingua decidendi ius et potestatem esse declaravit. Etenim quum principia linguae ad similitudinem principiorum eius, qua quis utitur sentiendi et morum indolem ac habitum efficta, adaptataque esse negari nequeat, philosophi esse censet, ea quae diversissimis locis et temporibus animadversa et observata sunt, ad simplicia principia revocare et in universa genera ac species redigere. Iis enim, quae singulatim animadversa et observata sint parum aut nihil probari aut refutari; certissimamque ad finem quendam perveniendi viam in

eo cerni, ut a notione linguae, quippe quae aditum ad eiusmodi quaestiones dissolvendas custodiat, definienda exeatur. Philosophum vestigio rationis, quae inter linguam et opinionem intercedat, indicato ita contentum fore, ut sapientem illum veterem, adspecta figura geometrica. (H. op. II, 129.) Quam orationem, quum subito abrumpat Hamannus, non sine iure maximo ad eum referri licebit illud Plinii de Timanthis penicillo dictum: „In omnibus operibus eius intelligitur plus, quam pingitur."

Sed et antiquorum philosophorum placitis cognoscendis operam quam maximam Hamannum navasse et ipse dicit et ex eius operibus intelligitur. Ac Platonem quidem prae reliquis ita adamaverat, ut dimidiam operum eius partem in sua scripta transscribendi libidine se captum esse diceret. Vide hanc in rem locum Opp. III, 111: „Ich habe keinen Autor mit sol-„cher Intimität (ich weiss meine Empfindung nicht besser aus-„zudrücken) gelesen," quocum cf. ibid. p. 114. 152. secundum ab eo locum tribuit Aristoteli, qui cum illo comparatus et solus legendus esset. Cf. Kleeblatt hellenist. Briefe II, 215.

E recentiorum philosophorum numero Baconem sibi elegit, in quo penitus perspiciendo diligentissime versatus est. Adhuc literarum philosophicarum instauratorem saepissime ablegat, utpote qui prae reliquis dignissimus sit, quem sequantur omnes. Ostendisse enim eum, quomodo ex naturae cognitione, quid esset animus et veritas, disci posset. Cuius philosophi praestantissimi auctoritate usus, quomodo Hamannus naturae codicem (i. e. nostrum: das Urkundliche der Natur. III, 82.) ad quem totum cogitationum regnum referendum sit, inspici iubeat, copiosius infra explicabimus.

Sed quanto amore Hamannus antiquos philosophos et Baconem amplexus est, tanto odio ferebatur in eos philosophos, qui in inanibus rationis abstractionibus mire sibi placebant; inter quos principem locum tenebant Francogallicae quam dicunt philosophiae admiratores, quorum in Germania numerus haud exiguus extiterat. Huic philosophiae theismi nomen inditum esse quasi per antiphrasin, quum deum nihil esse nisi, ut ipsissimis illius verbis utar „un vage être supreme" doceret, nemo est, qui nesciat. Quare Hamannus Gallicum philoso-

phum de ista philosophia haec narrantem inducit: (Oper. II, 179.)

Eine Vernunft, die sich für eine Tochter der Sinne und Materie bekennt, seht, das ist unsere Religion; eine Philosophie, welche den Menschen ihren Beruf auf Vieren zu gehen offenbaret, nährt unsere Grossmuth; eine Autorsucht, die von der Hand des Scharfrichters den Lorbeerzweig des Ruhms erringt *), macht die Salbung unserer schönen Geister; und ein Triumph heidnischer Gotteslästerungen ist der Gipfel unsers Genie's.

Philosophiam illam Francogallicam, quae positivae cuilibet religioni se opponebat, cum rationali metaphysica conjunxissent, non potuit Hamannus, quin pro virili respueret in eamque in censura, quam de libro *Robinetii* „de la Nature“ inscripto H. Oper. t. III, 241—45. egit, (Cf. Goethe l. l. Herder theilte Alles, was von jenem merkwürdigen Geiste nur ausging, sogleich mit. Darunter gehörten denn auch seine Rezensionen und Anzeigen eingerückt in die Königsberger Zeitung.) feliciter et lepide inveheretur; in qua etiam perversae istius philosophandi rationis fontem detexit. Nimirum *in aliqua re* (quelque chose) quae, quamvis ipsa non facta sit, tamen aliquid fecerit, summam novae istius theologiae et notionem creatoris positam esse. E sublimi hanc *alicujus istius rei* definitione exoriri profundissimam adorationem, per quam omnia *μεταφυσικῶς* pessum dari liceat. Nam dum anthropomorphismum oppugnaturos sese simulent, deumque incertam aliquam et transmundanam rem ac vacuam esse demonstrent, metaphysicam ad maximam extremamque inanitatem redigi. Quamobrem quum deus intelligi nequeat, Robinetio, iisque, qui eum sequantur, nihil relinqui, nisi illam emphaticam eandemque innocentem notionem primariam in qua totam deitatis vim, sicuti in nuce cassa, inclusam teneri ille constanter confessus sit. Theismum hunc christianae doctrinae incredibile quantum repugnare eique maiore cum jure ac seculi istius phi-

---

*) Voltaire's englische Briefe von Henkers Hand verbrannt. — La Mettries L'homme machine, in Leyden verbrannt, ein anderes vorher auf Befehl des Parlaments.

losophici moribus convenientius Atheismi *) nomen deberi, Hamannus acerba severitate usus demonstrat, ac denique irridendo et traducendo Robinetium si in talis philosophiae documentis exhibendis pergat, somnia lepida egregie aucturum et dilataturum esse sperat.

Eodem modo, quo Hamannum in Francogallicae philosophiae asseclas invectum esse paulo ante vidimus, superbiam et ridiculam sapientiae arrogantiam eorum, qui, quamvis deum intelligi posse negarent, nihilo tamen minus ad quaestiones divinas solvendas a communi hominum ratione auxilium petere ausi erant, quique Berolini potissimum auctoritate virorum ceteroquin gravissimorum freti, amplas sedes ceperant et quasi castra posuerant, ab eo castigatos et irrisos esse animadvertimus. Iam non amplius Mendelsohnum solum, licet hic ipse tanquam scholae caput dignissimus ei visus esset, qui copiosius refutaretur, sed Berolinenses in universum adversarios sibi elegerat, quos et ulcisceretur (Jacobii oper. tom. IV, 3, 143.) et fucum opinionum illitum abstergendo atque arrogatae sapientiae pallium detrahendo qui quantique essent nudi, ostenderet. (ibid. p. 191.) Cuius erga Berolinenses odii memores Hamanniana scripta multo melius intelligemus; quoscunque enim locos communes, quibus isti homines cum in re literaria, tum in religione praecipue usi sint, convulsurum et eversurum se esse ait**). (ibid. p. 145.) Nec non Hamanni studium eos, qui cum illis conjuncti, tum similes, tum easdem opiniones ac principia aliis praeter Berolinum locis amplectebantur impugnandi ex eodem fonte profluxisse consentaneum est. Quos omnes summa, quae ipsi suppetebat, acerbitate vituperat, veluti, ut unius prae reliquis exemplo utar Eberhardum propter apologiam Socratis ab eo denuo conscriptam. (Vide Ham. Op. t. IV, 99—114.)

Ceterum singulari quodam ac miro modo eiusmodi impetus instituit; etenim quum non in praesentem adversarium sed in tertium absentem vehementius se invasurum esse simulet,

---

*) H. e., ut Hamannus loquitur, ein eitles Nichts, das in seiner Abscheulichkeit nur nicht erkannt werde.

**) Utitur dictione: „mit seinen Krallen erreichen,“ unde quanto erga illos odio fuerit, colligas.

tamen illum, quem in praesentia impugnandum suscepit, ex inopinato sauciat. Ex qua pugnandi ratione intelligitur quoque, quomodo illud, quod personae, quam scripta sua tanquam velamentum induerint, tam saepe in epistolis mentionem iniecit, accipiendum sit. (Jacob. Oper. IV, 3, 191. Ham. op. VII, 90.)

Neque omnino quispiam penitus perspexerit scripta nostri scriptoris, nisi meminerit semper illud, quod eum in finem, ut plurimos lateret, optimisque placeret, eiusmodi velamento et obscuritate se usum esse identidem dixit. Atque profecto erat, quod personam indueret, ut, qui impugnanti sibi superbos novae illius de rebus divinis libere sentiendi ac disputandi inventores, eosdemque magistros (huc enim referenda esse patet omnia, quaecunque ex intimo pectoris secessu protulit) mendicatoriam istam sophisticarum et polyhistoricarum disciplinarum, moralium sensuum ac sententiarum de christiana doctrina in medium prolatarum superbiam vix risum misericordem excutere potuisse, seque vanitatem, quam in dogmatica et polemica ratione inesse videret, et voluptatem, quam ex certis quibusdam rebus deorum instar colendis non sine partium studio perciperent, et delicias praedilectas, quas qui amarent primariarum virtutum et moralium sensuum nomine nuncuparent, quaeque pariter ac providentia divina in pectoris humani remotissimis humanoque acumini inaccessis latebris abditae laterent, condoluisse pronuntiaret, eosque qui nihilominus in eiusmodi sensibus moralibus et in communi hominis ratione deum cognoscendi principia, inque humanarum rerum scientia divinae veritatis fontem contineri statuerent, acerbissime irrideret. Mirifice ait, errare eos, qui sanis ipsorum pedibus usos in coelum etiam transsilire se posse et remotis carceribus qui inter terram et coelum interiecti sunt, rebus ipsissimis i. e. realitati locum dari, humanique animi beatitudinem in eo, ut illi pro arbitrio et nullis vinculis impedito sentire et agere liceat, cerni opinentur. His non aliunde acceptis, sed ex fonte ipso haustis principiis addictos esse eos, qui positiva quaecunque religio quin statui debeat, dubitent, cum illisque arctissime cohaerere vanas virtutum, quae dei sint, definitiones et abstractam iuris doctrinam, permultasque alias ineptias.

In hoc vero certamine, quod Hamannus contra demonstrandi libidinem, qua captum esse videbat virum Wolfii disciplinae penultimo faventem et contra theismum e Francogallia translatum ex eoque necessario prodeuntem liberius de rebus divinis sentiendi ac disputandi rationem suscepit, inque acerbi et meditantis irrisoris („mit überlegtem Nachspott“ VII, 123.) munere, quod adversus eos, qui metaphysicas quaestiones auxilio tantum rationis communis solvendas censerent, functus est, fugere eum non poterat, qua tristi literae calamitate oppressae iacerent.

Sed quamvis in erroribus refutandis et veritate reducenda in minutias (id, quod ipse abs re se fecisse ait) *) hic illic ita abierit, ut Herderus eum postea etiam, ne in pristinam, qua a recto virium suarum usu prohibeatur, consuetudinem recideret, monendum duxerit; tamen philosophando id certe consecutus est, ut quam necessaria esset philosophiae immutatio, cui succederet cuiuslibet deinceps disciplinae conversio, divinare eum et optare oporteret. Quamobrem, quum ex permultis istis philosophiae disciplinis et argumentis adhiberi solitis demonstrativis ruinam universae literarum reipublicae imminere videret ac literarum anarchiam in summo, quo pervenire posset fastigio constitisse putaret, unde apostema quoddam exorturum esse divinaret, ingruenti malo, quantum in ipso positum esset, scriptis praecavere apud se decrevit. (III, 144.) Atque hanc quidem a Hamanno divinatam philosophicarum opinionum conversionem atque immutationem a Kantio omnino perfectam esse constat; de quo viro ea afferre liceat, quae Michelet. Hist. phil. t. I, 32. huc pertinentia dixit: „Kant beleuchtete jenes endliche Erkennen mit der Fackel seiner Kritik; und während er dessen Unternehmen für unzureichend erklärte, räumte er zugleich auf, was an Bruchstücken misglückter metaphysischer Versuche der Schutt von Jahrhunderten angehäuft hatte. Ueberhaupt sind am Anfange dieser

---

*) Exstat Hamanni ad Herderum hoc: (III, 324.) Dass ich zu nichts auf der Welt Gottes mehr tauge, wissen Sie. Ich schicke mich so gut ich kann in dieses kleine Unglück, das mir wenigstens dazu dienen kann, andere durch meinen Schaden zu warnen und wo es möglich ist, auf *Kleinigkeiten* aufmerksam zu machen.

Epoche alle Merkzeichen vorhanden, dass etwas Neues im Anzuge ist, und die alten Formen zusammenstürzen. Besonders Deutschland's philosophisches Treiben bietet dieses Schauspiel dar, als mit Kant, der diese alten Formen zertrümmerte, die neue Morgenröthe der Philosophie im äussersten Osten des gebildeten Europa's wirklich anbrach und mit dem Tage eines neuen Geistes die Nacht jenes westlichen Atheismus verscheuchte."

Neque Kantium in ingeniosissimis et acutissimis suae aetatis philosophis numerandum esse fugerat Hamannum; imo opus eius, cui nomen est inditum „Kritik der reinen Vernunft," tanti faciendum esse existimavit, ut quemadmodum in Anglia primum ita in Borussia alterum Humium extitisse censeret*); quippe quo tamdem opere praestantissimo edito speculativa Spaldingiorum, Steinbartiorum aliorum philosophia nec non iesuiticae contemplationes obmutuerint (III, 212—13.) quum Kantius secundum certam argumentandi regulam fieri non posse ostendisset, ut deus imperfectissima ea, qua hucusque cognoscere eum opinati essent ratione cognosceretur, theismum impugnando ad altioris cognitionis fontes ablegasset. (III, 212—14.)

Iam quum Hamannus iam mature Kantii acumini undique perlustrando et perspiciendo se parem non esse (III, 180.) incomparabili quadam animi sinceritate confessus sit ac postea etiam, quantopere ille ipsi praestaret sagacitate concesserit; (VI, 365, ubi haec de se dicit: „Mein armer Kopf ist gegen Kant's ein zerbrochener Topf — Thon gegen Eisen") tamen iam tempore eo, quo plerisque Kantii illud opus perdifficile erat intellectu neque unus fere periculum eius falso intelligendi effugiebat, a Kantianae philosophiae cognitione, qua quin imbutus fuerit dubium esse nequit, continuo ad ea, quae in illa philosophia falsa essent demonstrando transire, eumque locum, quo refellendus esset philosophus indicare potuerit, mirari licet. Vide VI, 181. „Es wird wenige geben, die ihn fassen werden;" et p. 190. „Ich finde, dass der Inhalt den Fähigkeiten weniger Köpfe angemessen ist, und dass man den Au-

*) III, 186.

tor *zu übersehen* im Stande sein muss, wenn man von ihm Nutzen und nicht Nachtheil ziehen soll." Quamobrem accuratior ac per omnes partes diffusa rationis, qua in censura libri Kantiani usus Hamannus singula quaeque examinaverit et diiudicaverit, librique ab eo, „Metakritik über den Purismum der reinen Vernunft" *) editi narratio ab hoc loco non aliena foret, nisi argumentum perimpeditum et vix extricandum durius et difficilius esset, quam quod oratione latina dilucide explanetur. Ne tamen rem ad Hamanni nostri ingenium diiudicandum haudquaquam levem omnino silentio praetermittamus, summam solummodo eorum, quae libello isto effecit ille, afferamus.

Quod Kantius homines experientia nulla usos quaedam cognoscere posse dixerit, fierique posse, ut formae sine materia essent in eo cerni illud *δός μοι ποῦ στῶ* et *πρῶτον ψεῦδος* idealismi critici. — Ideas matrices et ideas innatas unius eiusdemque ingenii liberos esse. (VI, 49.)

Quodsi sensus et intelligentia (Sinnlichkeit und Verstand) utpote duas cognitionis arbores, ex una, quamquam ignota radice nascantur, quid opus esse ut ea, quae natura *consociavit*, tam violenter et illicite secernamus? Nonne arborem utramque hac dichotomia et divulsione radicis transcendentalis perituram esse et extincturum iri? — Totum Kantii aedificium inani niti fiducia, fieri posse, ut ex vi formae efficiatur aliquid, quod certum sit. Inde formalismum istum et ludum notionum, quibus, quum ex mera cogitatione proficiscantur, aliquid rei subesse contendi nequeat, originem ducere; inde porro res, quae vere sunt, tanquam notiones nudas et signa tantum cogitabilia et visa mera violenter denudari; quam denudationem nihil esse nisi arbitrariam transsubstantionem formularum, signorumque abstractorum. Etenim linguam nostrarum notionum matricem esse (Jacobi IV, 3, 28.) in qua fun-

---

*) — in ihrem kleinen Umfange eines der wunderbarsten Producte, welche Deutscher Geist und Deutsche Sprache jemals hervorgebracht haben. Es ist die eigenthümlichste Verschmelzung von Gedankentiefsinn und genial verbildlichender Phantasiekraft. (K. Rosenkranz Gesch. d. Kant. Phil. S. 373.) Conferendi sunt loci huius libri, in quo prorsus ex aequo iudicat scriptor de Hamanno: pag. 372—74. 377. pag. 104—9. 411.

damenta et elementa eius quod dici potest „eine Metakritik der Vernunft“ (ibid. 54.) clavesque ad obscuritates in Kantii philosophia obvias perspiciendas lateant. (ibid. 81.) — Non de theologia et physica, sed de *lingua* agendum esse, utpote de matre rationis et revelationis. (Offenbarung ibid. 90.) Eam gladium esse duplici acie praeditum, quo veritates quaecunque et mendacia dissecentur. Eam denique causam esse paralogismorum et Antinomiarum omnium, quae rationi imputentur. Inde fieri ut vocabula pro notionibus et notiones pro rebus ipsis habeantur. Vocabulis et notionibus existentiam nullam tribui posse, quae rebus solummodo et iis, quae re vera sint, tribuenda sit. (Ham. op. VII, 360.) Sed quum lingua si recte adhibeatur, eadem etiam principium cohaerentis in se doctrinae meritoque dici possit „Das Sprachprincipium der Vernunft,“ totam philosophiam in grammatices formam et in librum quodammodo elementarem cognitionis nostrae redigendam esse censet. (Jacobi IV, 3, 351.)

Ad controversias omnes et discordias componendas, separationemque sensuum et intelligentiae (Sinnlichkeit und Verstand) quae Kantio placuerit tollendam linguae auxilio et intercessione utendum esse; etenim in ea coniungi utramque cognitionis arborem seseque invicem amplecti *). — Quae omnia vere ut perficiantur, Brunonis principium „coincidentiae“ principiorum tanquam veram eorum, quae in philosophia sibi adversantur, componendorum ac consociandorum methodum ac viam adhibendum esse. (VI, 183.) Hanc coincidentiam pertinere ad idealismum quoque et realismum philosophiae, eamque, quemadmodum natura nostra ex animo et corpore constet, ita ex utroque illo esse conflatam. (Jacobi IV, 3, 347.) Veram philosophiam non agnoscere discrimen, quod unitati repugnet, utpote quae omnibus notionibus subsit. Inter extremas utrinque partes medium quoddam deesse, quod verbalismum vocari velit, indeque sequi, partes illas non extremas esse, sed tanquam affines et socias convergere. (ibid 341.) Philosophiam quamlibet constare ex certis et incertis cognitionibus, ex idealismo et realismo, ex sensibus et intellectu. (ibid. 347.) Quemadmodum ratio a sensibus discerni

*) Cf. Rosenkranz Geschichte der Kant'schen Philosophie p. 411.

nequeat, ita sensus in humana natura a ratione discerni non posse. Intellectum sine rationis argumentis non magis cogitari posse, quam sensum sine intellectu.

Quin etiam religionem et philosophiam eo auctore non separandas esse, sed coincidere eas oportere; philosophis imputandum esse, quod linguae disturbari inceperint. Rationem et scripturam sacram primitus idem esse, nempe linguam Dei. (ibid. 169.) Iam vero in humanae naturae adytum penetrare frustra se conatum esse fatetur, ingeniose et acute illud pronuntians: (Operum IV, 45—47.)

Die Philosophen haben von jeher der Wahrheit dadurch einen Scheidebrief gegeben, dass sie dasjenige geschieden, was die Natur zusammengefügt hat, und umgekehrt. — Weil das Geheimniss der Ehe zwischen zwei so entgegengesetzten Naturen als der äussere oder innere Mensch oder Leib und Seele gross ist; so gehört freilich, um zu einem fasslichen Begriff von der Fülle in der Einheit unseres menschlichen Wesens zu gelangen, eine Anerkenntniss mehrer sich unterscheidender irdischer Merkmale dazu. — Der Mensch ist nicht nur ein lebendiger Acker, sondern auch der Sohn des Ackers, und nicht nur Acker und Saame, sondern auch König des Feldes; — *diese Drei sind eins, θεοῦ γεώργιον,* so wie drei Larven an der Wand der natürliche Schatten eines einzigen Körpers sind, der ein doppeltes Licht hinter sich hat. —

Quod idem argumentum alio loco hisce verbis ingeniosissime expressit: „Eine Oekonomie, ein Sauerteig lauft durch alle Aeonen bis zu ihrer Vollendung; Weisheit ist Gefühl — das Gefühl eines Vaters und eines Kindes."

Ex iis, quae hucusque dicta sunt, apparet Hamannum in eo, quod in describendo eius ingenii indole atque tamquam summum respiciendum ostendimus, tanquam in literarum inprimisque philosophiae principio, quo scilicet ea, quae sibi adversa sunt, copulentur atque in unum quoddam coniungantur discordiaeque arbitrariae viribus ad unum finem omnibus intentis componantur, quo argumento humanam, socialemque felicitatem niti haud obscure senserit, laudabili quadam constantia perseverasse eumque igitur consilii certi non tam expertem fuisse, quam permultis visum est. (Jacobi IV, 3, 402.)

THEOLOGIA HAMANNI.

Quum vero Hamannus in philosophia, quam Kantii tempore gravissimis, quae solvi ac componi non possent, discordiis vexari videbat, acquiescendum sibi non esse intelligeret; discordias istas partim detegendas et clara luce proponendas suscepit, partim iis componendis operam dedit et ita quidem ut quae e regione sibi adversari videret, ad unitatem, qua veritatem contineri non ignorabat, revocaret; id quod Jacobii Op. IV, 3, 169. cf. ibid. 357. hisce significat: Jeder wünscht die Umschaffung der bisherigen Philosophie, arbeitet daran, trägt sein Scherflein dazu bei;" et (Ham. Op. VII, 314.) Mir kommt Kant's ganzes System nicht um ein Haar besser als Mendelssohns vor. An keinem von beiden ist mir gelegen und ich will mich in keines weiter einlassen, als bloss mich an die Grundsäulen halten, die wurmstichig sind. Das übrige findet sich per nexum rerum von selbst. Attamen remedium hoc, ad quod errorum propellendorum causa et ut ea, quae in philosophia adversis frontibus sibi adversari videret, vitaret, confugerat, ipsi non satisfecit et licet in philosophia celebratum illud principium „coincidentiae" (Ham. op. IV, 145.) locum primarium, a quo inde exeundum esset et unice verum esse debere, non tantum acutissime divinasset, sed etiam disertis verbis pronuntiasset tamen et vires eis, quae cognovisset vera, copiosius explicandis pares sibi deesse sensit, et rem omnino fieri non posse intellexit. (Ham. op. VI, 224.) Es ist ein Glück für mich, dass ich die Spur dieser mit mir grau gewordenen Grille ganz verloren, sonst hätte ich darüber gebrütet, und wäre nicht fertig geworden, *weil meine Theorie noch nicht reif ist;*" nec non (VII, 151.) „Noch bleibt es immer finster über dieser Tiefe für mich, ich warte noch immer auf einen apocalyptischen Engel mit einem Schlüssel zu diesem Abgrund."

Quae quum ita essent unam tantum lineam rectam et philosophiam, utpote quae simul brevissima esset, amplexus est, quam Persius ille suus, quem in deliciis habebat, hisce expressit: „Minimum est, quod scire laboro." (Jacobi l. l. p. 121.)

Iam Hamannum in hoc principio acquiescentem philosophia, si rem accurate consideraveris prorsus se abdicasse et in coniunctione cum Deo unicum cognitionis fontem detegere sibi visum esse intelliges. In quo Socratis exemplum sequutum esse dixit, qui et ipse ut ex tortuosis sophistarum circulis effugeret, ad unam veritatem, quae in abdito loco lateret, i. e. ad deum ignotum colendum dux praeivisset. Cuius ex Memorab. Socratis Hamannianis loci, quum supra mentionem iniiceremus, addere debebamus Hamannum nostrum de Socrate loquentem non tantum ad antiquitatem, verum etiam ad se ipsum respicere neque revera aliud quid intelligi velle, nisi doctrinam christianam. Cf. I, 117. Cf. IV, 285: Die Perle des Christenthums ist ein verborgenes Leben in Gott, eine Wahrheit in Christo und eine Kraft, die weder in Worten und Gebräuchen, noch in Dogmen und sichtbaren Werken besteht, folglich auch nicht nach dialektischem und ethischem Augenmaass geschätzt werden kann.

Quamobrem philosophiae id quod supra ostendimus fidem christianam atque coniunctionem cum Deo ineundam opposuit. Fieri autem non posse ait, ut haec veritas, coniunctio scilicet cum Deo in se absoluta atque cohaerente ratione disputandi declaretur, quum non verbis, sive formulis, sed animo, sensu et notionibus contineatur (I, 122.). Fidem non sicuti mercem communicari posse, sed aut coelum aut orcum in nobismet ipsis esse. (Jacobi 358.)

In hac, quam modo exposuimus, in unum locum omnium rerum relatione, inque hac „internitate,“ si ita dicere fas est, peculiaris et prorsus propria Hamanniani Christianismi indoles ac natura cernitur. Pertinet huc quoque illud, quod apud Jacobium (l. l. 342.) legimus: Allen Sprachen liegt eine allgemeine zum Grunde, Natur, deren Herr und Stifter ein Geist ist, der allenthalben und nirgends ist, dessen Sausen man hört, ohne zu wissen den terminum a quo und ad quem, weil er frei ist von allen materiellen Verhältnissen im Bilde, im Worte aber *innerlich.* (Jacobi 342.)

Iam quaerentibus nobis, qua Christiana haec Hamanni fides nitatur respondentem eum ipsum audiamus necesse est, quum dicat: (Jacobi l. l. 13.) libros sacros ipsi idem, quod

veteribus sophistis Homerum fuisse, fontem scilicet, ex quo ad abusum adeo hauriens ebriatus sit εὐκαίρως, ἀκαίρως, et alio quodam loco: (Oper. Ham. III, 398.) scripturam sacram fame quadam canina quasi a se devoratam et quotidie lectitatam, eamque pro elemento et alimento habitam esse. Atque in hoc quidem librorum sacrorum studium, in quod peculiari, quae in ipso erat, animi vivacitate et sublimitate sese contulerat, prorsus dissimilis illis, qui superstitiosa quadam ac reliqua omnia superciliose despiciente reverentia eosdem libros legere consueverunt etiam atque deinde ita incubuit, (Op. I, 448, 503.) ut totam ipsius naturam iis quasi demersam esse recte femina princeps ingeniosa atque pia (Jacobi IV, 3, 15.) dixerit.

Iam tempore sequenti sedulo curavit, ut antiquissimos ecclesiae patres deinceps ad seculum usque quartum perlegendi otium nanciscetur (IV, 164.).

Neque eum libros ab aequalibus de rebus theologicis conscriptos diligenti lectione indignos censuisse, ideo narramus, quod inanitate et vilitate eorum potissimum ad scribendum et repugnandum incitatum se esse senserat. — Fidem autem Christianam docet Hamannus comparari eo, ut Deus hominibus et in rerum natura et in ipsius verbo sese manifestasse credatur. Naturae cognitione et historia tanquam fundamentis niti veram religionem (I, 55.). Utraque manifestatio, quum sibi similis sit, ac alterutra ad alterutram referatur, philosophiae sanae esse, utramque uno secum vinculo arctissime colligare. Deum autem hominibus se manifestasse ratione naturae ipsorum consentanea ita quidem ut ad debilitatem et cupidinem humanam descenderit, tantum nihilominus vires eo nostras superari (I, 63.). Sacram igitur scripturam nonnisi per similium comparationem communefacere nos posse, utpote, qui per sensus tantum cognoscamus, signis metaphoricis utentes et externarum rerum imagines ad internas ac animo tantum conceptas notiones transferentes. Quamobrem, quae libri sacri narrent, allegorice esse interpretanda, (VI, 123.) philosophiam et scripturam sacram habendas esse pro ὑποδείγμασι, σκίαις, et ἀντιτύποις meliorum, veriorum et spiritualium rerum. Quae in rerum natura appareant, somnia esse et aenigmata, quibus suus sensus, qui erui debeat, suaque notio, quae lateat,

subsit. Hanc in rem respiciat is necesse esse, qui altius reconditam significationem in libris sacris explicandis invenire velit (I, 148.). Atque ita, ut exemplum afferatur, in narratione de populo, cuius famem quinque hordearii expleverint, metaphorice accepta, bonum inesse sensum. Etenim quinque sensibus a natura homini datis totum comprehendi et doctrinae et fidei orbem atque ambitum; hoc fundamento non tantum rationis horreum, verum etiam fidei aerarium niti (I, 128 et 129.). Quod in hac re mirum videatur id in nostro ingenio cerni, quod tantam sensuum egestatem in tantas divitias immutare valeat. Sensus autem et ratio ut secum copulentur, utendum esse adminiculo evangelii divina et humana necessario secum coniungenda in unum consocianitis (VI, 170.). Atque in divinae humanaeque naturae consociatione et unitate positam esse praecipue omnem cognitionem nostram (IV, 23.).

His si de forma, quam Hamannus suis de religione cogitatis circumdedit, addiderimus eam ipsi admodum liberam placuisse ita ut unumquemque suo dicendi genere uti permitteret, dummodo illud cum verbo divino consentiret; si porro gravissimum ad quod hac in re provocavit, dictum: „Gott ist „nicht ein Gott der Todten, sondern der Lebendigen," (VII, 303.) et illud: (Jacobii Op. l. l. p. 423.) „Wem um den Geist zu „thun ist, der kehrt sich weder an die Materie, noch Form der „Wahrheit," commemoraverimus, reliquum est, ut fundamenti, quo fidem suam niti voluerit, breviter rationem reddamus.

Ac primum quidem quum amorem nihil esse statuat, nisi fidem christianam vivam, spiritum sive vitam fidei, hanc ipsam postea restringendo ita interpretatur Hamannus, ut non nostrum amorem, sed ineffabilem Dei in filio amoris manifestatum centrum ac solem doctrinae nostrae esse affirmet. (Jacobi l. l. p. 32, 33.) Dei timorem sapientiae initium, evangelicumque eius amorem sapientiae finem et punctum esse, praeter quod aliud δός μοι ποῦ στῶ cogitari non possit. Qui mysterio sanctae, quod dicunt, trinitatis obstringi et initiari sese non patiatur, eum Christiana doctrina, initio et fine remotis, imbui non posse (V, 242.). Qua de re Hegelius, quum optime exposuerit, non alienum videtur, eius verba ex operibus eius tom. XVII. transcribere:

„Indem Hamanns Glaube," inquit, „eine positive Grundlage zur Voraussetzung behielt, so war dieselbe für ihn zwar ein festes, aber ein göttliches, weder als ein äusserlich vorhandenes Ding (die Hostie der Katholiken), noch eine als buchstäbliches Wort behaltene Lehrformel (wie bei dem Wortglauben der Orthodoxie vorkommt), noch gar ein äusserlich Historisches der Erinnerung, sondern das Positive ist ihm nur Anfang und für die Gestaltung für Ausdruck und Verbildlichung wesentlich zur belebenden Verwendung. Hamann weiss, dass dies belebende Princip wesentlich eigener individueller Geist ist, und dass die Aufklärerei, welche sich mit der Autorität des Buchstabens, welchen sie nur erkläre, zu brüsten nicht entblödete, ein falsches Spiel spielte, indem der Sinn, den die Exegese giebt, zugleich verstandener subjectiver Sinn ist; welches Subjective im Sinn damals die Verstandes-Abstractionen der Wolfischen Schule, welche Vernunft genannt wurden, wie nachher anderer Schulen waren. So ist Hamanns Christenthum eine Energie lebendiger individueller Gegenwart; in der Bestimmtheit des positiven Elements bleibt er der freieste unabhängigste Geist, daher für das am entferntesten und heterogensten Scheinende wenigstens formell offen.

Priusquam autem pertractationi nostrae de fide Christiana Hamanni finem imponamus, superest, ut quomodo Hamanni doctrina Christiana ex ipsius natura peculiari exierit, enucleemus.

Iam fidem ad cupiditates animo nostro innatas pertinere, cogitationesque, quibus nulla res subsit arbitrarias esse censet (IV, 326.). In illa fide positam esse veram, universalem et reconditae naturae historiaeque generis humani prorsus convenientem religionem, cuius argumento spirituali et veritate multifaria contineatur sapientia (idid. 327.). Religiones quascunque ad fidem unius se ipsa nitentis neque aliunde petitae et vivae veritatis referendas esse, quae pariter atque nos ipsi ratione nostra prior et vetustior esse debeat, neque nisi revelationis immediatae auxilio cognosci possit (ibid. 328.). Religionis fundamentum positum esse in nostramet ipsorum natura et excedere virium nostrarum captum; unde exoriri

mythicam illam et poëticam in quibuslibet religionibus perspicuam. Omnium revelationum nullam tam arcte ad nostras vires cupiditates et affectus accommodatam esse, quam christianam, quae naturae doctrinae legibus rationis et vivis vivae experientiae conclusionibus adaptata sit (ibid. 330.). Granum illud, de quo in libris sacris sermo sit, anthropomorphoseos et apotheoseos, quod in pectore omnium religionum occlusum teneatur, magnitudine hic arboris cognitionis et vitae praeditum apparere. Omnes philosophiae discordias compositas, omniaque naturae nostrae aenigmata soluta, omnem denique obscuritatem termini a quo et termini ad quem verbi in carnem immutati codice fugatam esse.

Verae religionis ingenium atque indolem in intimo corde cerni quod e coelo oriundum sit, quemadmodum et coelum vice versa in intimo corde positum sit. Non ceremoniis, votis, sacrificiis quae Deus ab hominibus exposcat, Christianae beatitudinis mysterium effici, sed potius iis quae Deus in hominum commodum et promiserit, perfecerit et donaverit; non maximo et gravissimo mandato, quod dederit, sed summo bono, quod donaverit; non legislatione et doctrina morali, quae ad humanas tantum cogitationes et actiones spectent, sed divinorum factorum perfectione et institutionibus in totius mundi salutem conditis. Dogmaticen et ecclesiae ius, quum pertineant solummodo ad publicas, homines et erudiendi et regendi factas institutiones esse ea dominantium arbitrio obnoxia. Quamobrem publicas has visibiles ac terrenas institutiones neque pro religione Christiana, neque pro sapientia de coelo descendente, sed pro terrenis, humanis, vel diabolicis secundum imperium, quo sive ecclesiastico, sive civili obstrictae teneantur, habendas esse.

Literae liberales Hamanni.

Iam iis, in quibus summa Hamannianae de fide Christiana doctrinae cernitur compositis, addere in universum vix opus fuerit, quod nostro tanquam principium visum sit. Verum enimvero sensum (i. e. das Gefühl) statuebat esse intellectus omnis principium; et sicuti in describenda eius vita ad hoc ab

eo inventum principium prae ceteris intendendum esse diximus, ita in amore tanquam fundamento doctrinam suam de Christiana disciplina nixam esse voluit, quippe quae tunc demum viva esset, si animo percepta animi formam indueret*), quemadmodum ex Hamanni philosophia hominis animum ab ipso maioris, quam omnes logices regulas aestimatum esse intelleximus (III, 15.). Thaumaturgiam omnem aestheticam, quum ad sensus ex re ipsa oriundi neque aliunde comparati locum supplendum non sufficere censeat, hoc ipso, quem modo significavimus sensu, aesthetices principium contineri statuit. Naturalem quandam de ea doctrinam se condere velle ait, id, quod iam, quum Baconis mentionem iniiceremus, innuimus, quae scilicet illam ab arbitrariis placitis et regulis et cogitationibus (abstractionibus) liberare studeat.

Atque hac quidem liberatione, quam Hamannus tentavit et inchoavit, eum de literis optime meritum esse negari non debet. Quis enim est, qui quantus inde ad aequales redundaverit fructus, nesciat? Iam in Herderum, virum de universa literarum republica meritissimum cui Germania magnam gloriae, qua seculo superiore exeunte gaudebat, partem debet, doctrinam Hamanni maximam vim habuisse, inter omnes constat. Qui vir praestantissimus, quum Hamanni familiaritate arctissima et mutuo cum eo sermonum, epistolarumque commercio usus sit, ab re non fuerit coniunctionem istam inter utrumque virum intercedentem, quippe cui ipsi non solum doctrinarum inveteratarum immutatio et conversio verum etiam novarum earumque elegantiorum disciplinarum origo debeatur, accuratius hic describere et quae fuerit eius peculiaris indoles, ostendere: Iam inde a puero Hamannus se Herderi populares quodammodo praeamasse sive opinione quadam praeconcepta amplexum esse amico scribit, (III, 302.) in qua consuetudine ab Herdero iuvene et morum indole et literis prae multis conspicuo ac dignissimo cuius victum amicissime curet, sese confirmari. In quo admirari licet Hamanni acumen, utpote qui quum in iuvene tanti, qui postea factus est viri initia tam bene

*) Id quod Hegelius ita expressit: „wenn es sich zur geistigen Gegenwart und eigenem Besitz versubjectivirt.“

viderit et perspexerit vaticinatus fere esse videri possit. Sed audiamus eum ipsum de hac re scribentem: „Bei einem ziemlichen Umfang historischer und ästhetischer Einsicht und einer grossen Lust, den fruchtbarsten Boden anzubauen, — besitzt er die jungfräuliche Seele eines Virgil und die Reizbarkeit des Gefühls, die mir den Umgang so angenehm macht.“

A viro tam benevolo commendatus, quum Herderus publicum munus suscepisset, haec ipsa res et inde profectus erga fautorem animus gratus*) ad familiaritatem mutuam confirmandam augendamque sufficiebant. Utrumque iniisse videmus eiusmodi societatem, in qua is, qui maior natu esset natu minorem, qui alieno auxilio indigeret, et consilio et facto adiuvaret; quo pertinent ea, quae Herderus Hamanno scribit: (III, 293.) „Was rathen Sie mir? Zu antworten oder zu schweigen? Auf Ihr Orakel kommt mir äusserst viel an. Cf. V, 10. Sie sind eine starke Muskel des Herzens im grossen Körper, die sehr stark und innig wirkt, — ich bin nichts als ein elendes Büschel des Gefühls, des Augenwinkels. ibid. 109. — Kurz, lieber Mann Gottes, höre nicht auf, mich zu warnen, aber auch zu hoffen, zu lieben, zu stärken.“

Atque ita praecipue initio coniunctionis Herderum secundaris quendam locum obtinuisse apparet, a quo tum quoque non cederet, quum ad amici natu maioris auctoritatem indubitatam in componendis primis literarum documentis provocaret. Ex hac iuvenis Herderi modestia, qua in re qualibet amici iudicium suscipiebat exortum est aliud momentum, cuius in utriusque viri amicitia diiudicanda rationem habeamus necesse est; reverentiam dico, qua Herderus ingenium Hamanni praeponderans et copiam maturitatemque, qua gaudebat ille, literarum amplexus est. Primo epistolarum commercii tempore Hamannum magna cum intelligentia certo iudicio usum iuvenili Herderi vivacitati nunquam sese opposuisse videmus; imo sincerissimi consultoris, qui rarissime amicum commonefaceret saepissime melius intelligenti cederet, aliter sentientem non pertinacius impugnaret, haud raro denique corrigi se et

---

*) III, 318. ubi Herder. Ham. scribit: „Ich habe Ihnen meine gegenwärtige Lage zu danken.“

dedoceri pateretur, partes ab eo susceptas esse animadvertimus.

Ac tali muneris scriptoris, quod in se susceperat, tutori et censori primigenito (hoc enim nomine appellat Hamannum III, 352.) primam *fragmentorum* ab ipso conscriptorum sectionem misit, ut in censuram vocet eam et peccata obvia corrigat etiam atque etiam ab illo postulans; (ibid. 358, 378.) in quo tamen Hamannus in universum tantum iudicis officio satisfaciendum sibi esse putavit. Iam Herderus amicum pleraque rectius se vidisse concedens non potuit, quin iis, quae ille de ipsius dictione notaverat, defendendi sui causa aliquid opponeret, muneri nondum se parem, sed pomum praecox esse dicens, utpote quod tranquille incedentem orationem ac familiaritatem respueret (ibid. 363.). Cuius rei caussam ex communi institutionis et doctrinae, quibus usus sit, ac denique rerum domesticarum fonte repetendam esse ait. Inde peculiarem dictionis indolem explicandam esse; fieri enim non posse ut qui singulari quodam et insolito modo sentiat, idem non stilo singulari et insolito scribat. „Meine Studien," inquit, „sind wie Zweige, die durch ein Ungewitter mit einem Mal ausgetrieben worden. Aber wissen Sie auch, dass ich noch nicht im Alter der Reife, sondern der Blätter bin? Eine jede hält eine ganze Frucht in sich, aber viele fallen freilich auf die Erde. Wollen Sie an einem jungen Baume lieber abschneiden oder einpfropfen?" Cui defensioni, quum addat, se in praesentia ad consilia non tam exsequenda, quam capienda incitandum esse, locum qui ipsi obtinendus sit scriptori, accuratius indicat. Ex quo simul intelligitur Herderum diverso quidem ab Hamanno genere, quod tamen et ipsum defendi probarique posset, se numerandum esse censuisse. Atque hanc praestantiae suae conscientiam in Herdero magis etiam viguisse videmus ex litteris, quas postea ad Hamannum dedit, et quamvis ille non per vim effecerit ab amico ut in eodem cum ipso eruditionis gradu collocaretur, tamen Hamannum peculiari, quam Herderus sequebatur sentiendi rationi tantum condonasse, ut eum nova et diversa ab ea, quae ipsi visa erat via incedere pateretur; imo consultoris et iudicis munus ab illo interdum in ipsum collatum ultro deprecantem ex Herderiana

doctrina et in scribendo vivacitate magnam se percepisse voluptatem libenter confessum esse, attente legentem fugere non potest.

Nihilotamen minus Herderum solum e amicorum numero quoad principia primaria, eum esse dicit, qui notioni, quam animo perceperat omnino satisfaciat. „Bei aller Verschiedenheit,“ inquit, „unserer Lage mag es eine geheime Gleichförmigkeit unter unsern Umständen geben, durch die es sehr natürlich zugehen mag, dass wir uns einander verwechseln und der eine seine eigenen Vorurtheile dem andern beimisst, welches mir mit den optischen Gesetzen unserer Seele und ihrer Urtheilskraft übereinzustimmen scheint.“

Pertinet huc illud quod Herderus Hamannu scribit: „Sie werden mir Ihre Gedanken sagen und das wird mich zu Ihnen rücken und mir auf den Verfolg Winke geben.“

VITA.

Guilelmus Bauer natus sum in Silesiae superioris vico, ui nomen est *Summin*, anno MDCCCXII, die VII Novembris, atre *Carolo*, matre e gente *Kalleriana*. Parentibus gaudeo dhuc vivis. Puer quinque annorum *Ratiboriae* schola privata istitutus octo annos natus gymnasium *Ratiboriense*, quod priium *Lingio*, deinde *Haenischio* rectoribus florebat per octo nnos frequentavi. Quantum his, reliquisque, qui in hac chola literas tum tradiderunt, praeceptoribus debeam, semer animo gratissimo recordabor. Anno MDCCCXXIX mense laio universitatem literarum, quae est Vratislaviae adii, philogiae nomen daturus. Receptus a *Gravenhorstio* viro amlissimo tunc Rectore Magnifico in numerum civium academiorum lectionibus interfui *Wachleri*, historiam tum politicam, im literariam narrantis. In philosophicis disciplinis instituemt me viri cl. *Rohovsky*, *Braniss*, *Steffens*, in philologicis istitutione usus sum v. cl. *Schneideri*, *Passovii* et *Wellaueri*. lui omnes viri doctissimi et clarissimi, quantopere de me rudiendo meriti sint, verbis exprimere etsi nequeo, tamen emper gratissimo animo meminero.

Quadriennio academico peracto in domum redii paternam, xamen pro facultate docendi, quam dicunt, subiturus. Iamie in eo eram, ut ad quaestiones, quae ad examen superanim propositae mihi erant, solvendas accederem, quum ocurum morbo graviter affectus hoc consilium abiicere cogebar. ona autem oculorum valetudine restituta *Vratislaviae* et domi eris quoad fieri potuit, literarum inprimis historiae, philosoiae deinde et philologiae operam navavi, ac nunc in eo sum, , quod deus bene vertat, rei publicae officium praestem.

Sentententiae controversae.

I. Plautus non fortuito ac temere, quemadmodum Lessingiu et post eum plures affirmarunt, fabulam, cui nomen e „Trinummus“ inscripsit.

II. Dissidium exortum inter Helvetios et Gottschedium Sa xonem eiusque asseclas, quamquam concedi potest, pa tim vilibus externisque causis originem debere, maxima tamen partem deducendum est ex ratione interna h. ex propria vi et natura utriusque inter se diversi popu Similia iam occurrunt saeculo XVI^{mo}.

III. *Cogitandi* vis atque natura non disiungenda est a cr dendi vi. Partes enim sunt totius rei diversae quiden atqui diversitate unum efficiunt.

IV. Apud auctorem ad Herennium II, 14, 21. corrigendu esse censeo: primum quaeri conveniet, utrum fuerit utili ex contentione, hoc est, utrum *vere iustius*, facilius co ducibilius.

V. Hegelii sententiam: „aestheticam, quam dicunt, arte in gymnasiis docendam esse,“ veram existimo.